

Distinctio XXXIX

<Divisio textus>

“Praeterea quaeri solet,” etc. Postquam determinavit Magister de praescientiae causalitate et infallibilitate, hic agit de praescientiae immutabilitate. Et circa hoc duo facit, quia primo determinat veritatem, secundo obicit contra quiddam assumptum. Secunda ibi: “Ei vero quod praedictum est.” Circa primum duo facit: primo namque inquit an Dei praescientia possit augeri vel minui; secundo an concedi debeat quod Deus possit plura scire quam sciat. Secunda ibi: “Item a quibusdam.”

Circa primum duo facit: primo namque inquit an praescientia possit aliquo modo mutari secundum augmentum et diminutionem; secundo an saltem mutari possit secundum novitatem sic quod aliquid ex tempore cognoscat. Secunda ibi: “Hic opponitur a quibusdam.”

Circa primum tria facit: primo namque movet quaestionem et arguit ad eam. Unde probat quod scientia Dei possit augeri, quia aliquis qui non legit hodie potuisset legisse, et per consequens Deus potuisset hoc scivisse; et iterum aliquis posset cras legere qui non leget, et ita posset Deus hoc praescire; potest igitur Dei praescientia augmentari. Probat etiam quod possit minui ex hoc quod aliquis hodie lecturus posset non legere, et ita potuisset ipsum non praescivisse lecturum, quem tamen praescivit.

Secundo ibi: “Ad quod dicimus,” respondet Magister quod Dei scientia invariabilis est omnino et immutabilis, nec augeri potest vel minui, quia id ipsum est quod divina essentia quae omnino invariabilis est. Et hoc probat auctoritate Augustini, quae patet in littera.

Tertio ibi: “Sicut ergo,” respondet ad argumenta, dicens quod licet Dei scientia mutari non possit, subiecta tamen suae scientiae mutari possunt. Unde possunt suae scientiae aliqua esse subiecta quae non sunt, et aliqua sunt subiecta quae possent non subici, absque tamen scientiae varietate.

Postmodum ibi: “Hic opponitur a quibusdam,” Magister inquit an varietur Dei praescientia secundum temporis novitatem, ita quod possit ex tempore aliquid scire vel praescire. Et dicit quod non potest aliquid scire ex tempore. Et si dicatur quod potest praescire quod non fiet et tamen fieri potest, dicendum quod si intelligatur simul et coniunctim, propositio non est vera, quia si illud fieret, Deus utique praescivisset; unde non potest stare simul quod illud sit vel fiat et tamen quod non sit praescitum. Vel potest intelligi divisim, scilicet quod Deus habet potentiam sciendi et praesciendi et modo et ab aeterno quod tamen nec praescitum est nec futurum; utique verum est et concedi potest.

Postmodum ibi: “Item a quibusdam,” inquit Magister an Deus possit plura scire quam sciat, et respondet quod sic. Non tamen propter hoc Sua scientia mutaretur.

Postmodum ibi: “Ei vero,” Magister opponit cuidam assumpto, scilicet quod Deus omnia semper videt. Dicit enim Hieronymus quod videtur absurdum divinae maiestati quod cognoscat muscarum aut pulicum multitudinem infinitam. Et respondet Magister quod Hieronymus intendit loqui non de praescientia, sed de providentia, quia licet Deo sit cura de omnibus, non tamen qualis est de hominibus et rationabilibus creaturis. Ultimo vero concludit quod Deus immutabiliter scit omnia quae fuerunt, erunt, et sunt.

Haec est sententia.

Quaestio LXV

Utrum immutabilitas divinae praescientiae excludat contingentiam rerum et econverso? Et quia Magister agit hic de immutabilitate divinae praescientiae, ideo inquirendum occurrit utrum immutabilitas divinae praescientiae excludat contingentiam rerum vel secum compatiatur earum contingentem eventum.

Quod contingentia rerum inducat varietatem et contingentiam in praescientia Dei. Et videtur quod non compatiantur se mutuo rerum contingentia et immutabilitas divinae scientiae. Scientia enim et scitum videntur adinvicem conformari. Nec est maior immutabilitas in scientia quam in scito. Unde Philosophus, VI *Ethnicorum*, probat quod scientia est habitus permansivus,

quia est de aeternis. Et primo *Ethicorum* dicit quod sermones inquirendi sunt penes materias, et loquitur de certitudine sermonum scientificorum. Et VII *Metaphysicae* dicit quod de singularibus generabilibus et corruptibilibus non potest esse scientia, cum sit habitus immobilis. Ex quibus patet quod scientia et scitum debent conformari in certitudine et mutabilitate; sed rerum contingentia ponit mutabilitatem in rebus; ergo inducet variabilitatem in divina scientia.

Praeterea, quodcumque aliqua sunt idem, si unum est variabile, et reliquum; sed scientia in actu et scitum in actu sunt idem, iuxta illud Philosophi, tertio *De anima*: “Scientia speculativa, et quod sic speculatum est, idem sunt”; ergo cum scita a Deo sint contingentia, necesse est quod scientia sit mutabilis et contingens.

Praeterea, illud quod inducit in divina scientia potentiam contradictionis, ponit mutabilitatem in ea, res enim ex hoc sunt mutabiles quod sunt in potentia contradictionis, ut Philosophus dicit, IX *Metaphysicae*; sed rerum contingentia arguit in Deo potentiam contradictionis, scilicet potentiam ad sciendum et non sciendum – quidquid enim contingit fieri potest Deus scire, non praenovit autem multa quae non fient quae tamen possibile sunt fieri, et ita multa non scit Deus quae posset scire; est ergo in Eo potentia ad sciendum et non sciendum; igitur mutabilitas.

Praeterea, nulla scientia potest se extendere ad plura vel restringere ad pauciora sine sui augmento et diminutione, et ita nec sine mutabilitate et variatione; sed ex hoc quod res sunt contingentes, scientia Dei potest se extendere ad plura quam se extendat, quia plura possibile sunt quae non fient quae utique Deus posset cognoscere et tamen non praecognoscit, cum futura non sint; similiter etiam pauciora fieri possent quam facta sint, et ita Deus pauciora potest cognoscere; igitur scientia Dei potest augmentari et diminui et mutari propter contingentiam rerum.

Praeterea, impossibile est quod aliquid transeat de contradictorio in contradictorium nisi facta mutatione alicubi; sed conceditur quod Deus posset esse praescius aliquorum quorum praescius non est, et e converso non praescius quorum praescius est, propter contingentiam rerum, nam aliter ea quae fiunt non possent non fieri et ea quae non fiunt non possent fieri, et sic poneretur aliquorum impossibilitas, aliorum vero necessitas, et nullius contingentia vel mutabilitas; ergo necesse est quod alicubi ponatur mutatio, cum de non praescio potest fieri praescius Deus; non potest autem poni in praescitis, quia nondum sunt; igitur mutatio illa erit in Deo.

Praeterea, illud in quo potest esse aliquid quod non est, vel in quo potest aliquid non esse quod est, videtur posse mutari; sed praescientia Antichristi aliquid est; hoc autem, cum sit in Deo, posset non esse in Eo propter contingentiam Antichristi; similiter praescientia alicuius quod non fiet posset esse in Deo, et esset utique si illud fieret; ergo manifestum est quod mutatio possibilis est circa scientiam Dei propter contingentiam rerum.

Praeterea, Magister concedit in littera quod Deus posset scire plura vel pauciora quam sciat. Illa ergo potentia ad sciendum plura vel est activa vel passiva; non potest dici activa, quia praescientia non est causa rerum, secundum Originem, *Super Epistolam ad Romanos*, qui dicit quod non propter hoc aliquid erit quia Deus scit illud esse futurum; ergo necesse est quod sit potentia passiva; talis autem est ad formam, et per consequens mutabilitatem inducit; ergo in Deo est mutabilitas suae scientiae propter contingentiam rerum.

Quod immutabilitas divinae scientiae excludat contingentiam rerum et imponat necessitatem praescitis. Ulterius videtur quod infallibilitas et immutabilitas scientiae divinae inducat necessitatem rebus scitis et excludat contingentiam futurorum. In omni enim consequentia necessaria, si antecedens est immutabile, consequens est immutabile; sed scientia necessario infert scitum, sequitur enim: ‘Scio aliquid esse; ergo illud est’, alioquin nescio sed fallor; similiter sequitur: ‘Deus scit aliquid futurum; ergo illud erit’; antecedens autem est immutabile, si scientia Dei immutabilis sit; ergo necessario scitum immutabile erit, et per consequens contingentia excluditur ab omni futuro.

Praeterea, posse cognoscere aliquid aliter quam sit est posse decipi vel falli, et similiter posse cognoscere de aliquo quod erit aliter quam erit est posse decipi, sicut enim se habet scientia de praesenti ad praesens, sic scientia de futuro ad futurum; sed si res sunt contingentes et non

eveniunt de necessitate, Deus potest aliter scire res quam erunt, quia et aliter esse possunt; igitur poterit falli; quare si non potest falli nec potest mutari, oportet quod res de necessitate eveniant.

Praeterea, omnis causa necessaria quae impediri non potest inducit necessitatem in effectu, et hoc veritatem habet non solum in causis efficientibus, immo in causa exemplari; sed scientia Dei est causa exemplaris rerum, ita quod actualitas earum quae fient habet exemplar in Deo, actualitas vero earum quae non fient non habet exemplar; ergo de necessitate ista fient et illa non fient.

Praeterea, ex maiori de necessitate et minori de inesse sequitur conclusio de necessario, sicut patet primo *Priorum*; sed maior ista est de necessario: ‘Omne scitum a Deo de necessitate est verum’, minor vero de inesse: ‘Omne futurum est scitum a Deo’; ergo sequitur conclusio de necessario, scilicet quod omne futurum de necessitate est verum, et per consequens de necessitate eveniet.

Quod immutabilitas divinae scientiae non excludat contingentiam futurorum nec contingentia immutabilitatem scientiae. Sed in oppositum videtur quod nec rerum contingentia immutabilitatem divinae scientiae impediatur, nec econverso. Verum enim non opponitur vero, sed falsum opponitur vero. Unde primo *Ethicorum* dicit Philosophus quod vero “omnia consonant, falso autem cito dissonat verum.” Ex quo patet quod nulla vera mutuo se excludunt; sed quod Dei scientia omnino immutabilis sit, verum est; quod etiam contingentia sit in rebus verum est et a philosophis concessum; ergo unum aliud non impedit nec excludit; stat igitur contingentia rerum cum immutabilitate scientiae.

Praeterea, non est dicendum quod scientia Dei tollat negotiationem et consilium aut inducat necessitatem ad malum; similiter nec est dicendum quod contingentia rerum inducat imperfectionem circa primum principium; sed si immutabilitas divinae scientiae tolleret contingentiam futurorum, ex consequenti tolleretur omnem conatum ad oppositum et omne consilium, et induceret homines ad peccatum; similiter etiam si contingentia rerum mutabilitatem induceret in divina scientia, poneret imperfectionem circa primum principium; igitur istud poni non potest.

Responsio ad quaestionem. Ad quaestionem istam respondendo hoc ordine procedetur: Primo namque inquiretur de immutabilitate et necessitate divinae praescientiae. Secundo vero quare et quomodo contingentia sit in rebus. Tertio quoque an necessitas divinae praescientiae et immutabilitas eius imponat necessitatem eventui futurorum, omnem contingentiam excludendo. Quarto vero an econverso contingentia rerum inducat mutabilitatem in Dei praescientia.

Articulus Primus

Opinio Thomae, parte prima, quaestione XIII, articulo XIII. Circa primum ergo considerandum quod aliqui dicere voluerunt scientiam Dei quam habet de futuro non solum esse immutabilem, sed esse quoddam necessarium absolute. Unde cum dicitur, ‘Deus scivit hoc futurum; ergo hoc futurum erit’, antecedens non est contingens propter respectum ad futurum, quia respectus ad futurum necessarius esse potest. Nec est contingens quia est compositum ex necessario et contingenti, sicut illud dictum contingens est: ‘Sortes est homo albus’, quia futurum contingens non ponitur nisi ut materia verbi, et non sicut principalis pars propositionis cum dicitur ‘Deus scit aliquid esse futurum’. Unde nec contingentia nec necessitas sumitur ex futuro, sicut nec veritas nec falsitas sumitur ex eo quod est materiale in propositione. Ita enim potest esse verum me dixisse hominem esse leonem, sicut me dixisse Sortem currere, vel Deum esse. Unde actus rationalis non distrahitur per materiam super quam transit, ut patet, quia si dico ‘nihil’, non distrahitur quin dicam, nam dicere ‘nihil’ est dicere. Ergo nec divina scientia ponitur contingens, quamvis transeat super contingens. Actus quidem anime potest esse contingens et tamen erit transiens super necessarium, ut si video solem oriri, ortus quidem solis est necessarius, visio vero contingens. Similiter etiam scientia Dei est necessaria absolute, quamvis transeat super contingens futurum.

Opinio Scoti. Dixerunt vero alii quod praescientia Dei non est necessaria, quamvis sit immutabilis. Et primum quidem patet, quia quando aliqua convertuntur in veritate, non potest unum esse verum contingenter et aliud necessario, quia ex necessario non sequitur contingens, unum enim potest non esse verum, aliud vero non; sed velle animam Antichristi fore et scire eam futuram esse convertuntur, quia probatum est supra quod anima Antichristi non est prius scibilis fore quam sit volita fore, intellectus namque est omnino neuter de omni futuro ante acceptationem divinae voluntatis, et per consequens praescientia exigit determinationem voluntatis; ergo, cum actus divinae acceptationis non sit necessarius sed contingens et liber, alias vellet Deus existencias creaturarum necessitate nature, oportet dicere consequenter quod praescientia omnis futuri non sit formaliter necessaria, sed contingens.

Secundum vero patet, non enim omne contingens est mutabile, et per consequens non omne immutabile est necessarium. Certum est enim quod Sortem currere quando currit est immutabile, et tamen contingenter currit, quia non necessitatur sua voluntas ad currendum, immo libere et contingenter determinat se ad cursum; sic igitur praescientia Dei est quoddam contingens in nunc aeternitatis, ubi non est successio; et propter hoc immutabilis est sicut est immutabile quin sit res immutabilis pro illo tunc pro quo est; in toto ergo nunc aeternitatis immutabilis est, et tamen contingenter, non de necessitate absoluta, posita est in Deo ex praedeterminatione voluntatis libere disponentis quod tale futurum fiat, tale non fiat.

Opinio Aliorum. Dixerunt vero alii quod praescientia Dei potest considerari quantum ad id quod est, et sic est immutabilis et necessaria necessitate absoluta, cum sit id ipsum quod divina essentia, vel potest accipi quantum ad transitum super obiectum; non solum enim praescientia est aliquid in se, immo est transiens super futura; transitus ergo iste non est necessarius sed contingens.

Quid dicendum secundum veritatem. Et primo quod haec propositio non est necessaria absolute: 'Deus scit aliquid esse futurum', contra primam opinionem. Restat igitur nunc dicere quod videtur sub quadruplici propositione. Prima quidem quod licet Dei scientia sit necessaria absolute, tamen haec propositio non est necessaria: 'Deus scit vel scivit hoc vel illud esse futurum', utpote 'Petrum salvandum' et 'Iudam dampnandum'. Nulla enim propositio falsa est necessaria – non est enim necessaria haec: 'Sortes est lapis', sed magis impossibilis; sed constat ex supradictis quod ista est falsa: 'Deus scit Antichristum venturum', vel quod erit, vel omne tale exprimens futuritionem, quia talis notitia est expectativa – unde propositio ista non est scibilis aliqua scientia: 'Antichristus erit', quia non est vera vel falsa; ergo non potest dici quod hoc dictum sit necessarium absolute: 'Deus scit Antichristum futurum'.

Et si dicatur quod 'licet nesciat Antichristum Sibi futurum, quia tunc Sua notitia tenderet in distans et in posterius, scit tamen eum esse futurum in ordine ad nunc praesens, quia novit quod posterius est isto nunc', non valet, quia actualitas Antichristi comparata ad aliquod nunc praecedens indeterminata est omnino nec scibilis, et ideo habitudo illa, seu futuritio, non est quid scibile et determinatum. Propter quod non est concedendum quantum ad proprietatem significati: 'Deus scit Antichristum futurum post istud nunc', quamvis concedi debeat quod Deus habet determinatam notitiam de actualitate contingentis abstrahendo a futuritione et a praesentialitate.

Quod praescientia Dei nullo modo potest esse contingens, immo est necesse esse formaliter, contra secundam opinionem. Secunda vero propositio est quod praescientia Dei nullo modo potest esse contingens, immo est necesse esse formaliter. Quandocumque enim aliqua sunt unum et idem, impossibile est quod unum sit necessarium et reliquum contingens; sed praescientia Dei quam habet de omni creatura non est aliud quam divina essentia, quia non est aliud Deo esse et sapere, secundum Augustinum; ergo praescientia Dei erit aequae necesse esse simpliciter et absolute sicut divina essentia.

Sed forte dicetur quod praescientia aliquid connotat, videlicet creaturas, per modum secundarii obiecti. Licet autem divina intellectio, quae non est aliud quam essentia, sit

necessaria in se formaliter, et etiam ut transit super primum conceptum, non tamen ut transit super obiecta secundaria, quia nullo modo actus exigit aut dependet nisi a primo termino.

Sed si ita dicatur, non valet, ponendo scilicet quod creaturae sint in divino prospectu tamquam obiecta secundaria. Ab illo enim dependet aliquis actus sine quo esse non potest nec intelligi; sed divina intellectio, quae est de creaturis, non potest intelligi aut esse nisi terminata ad creaturas, quia si detur oppositum, sequetur quod Deus, terminando Suum intuitum ad essentiam, potest apprehendi ut intelligens creaturas, posito quod apprehendatur quod nulla creatura terminet Suum intuitum – cuius oppositum isti dicunt, quamvis istud sit verum, ut supra dictum fuit –; ergo si intellectio creaturarum intelligitur ut transiens ad creaturas secundario et ibi terminata, necessario dependet et coexigit eas, et per consequens transitus ille in creaturas ea necessitate necessarius est qua divina essentia.

Est ergo considerandum quod cum intellectio creaturarum et essentiae sit eadem et re et ratione, ut supra declaratum est, est enim actus formaliter idem et obiectum intuitum idem, necesse est dicere quod praescientia, sicut et essentia, sit formaliter necesse esse. Nec ratione connotati inest sibi contingentia, quia potest intelligi illud connotatum vel per modum termini in quem transeat intellectio, et sic non ponitur praescientia connotare futura, aut intelligitur per modum termini denominati tantum, quia intellecta Deitate, omnis creatura aequipollenter dicitur intellecta, et sic ea necessitate qua Deitas est similitudo subsistens omnium, necessarium est quod omnia dicantur denominative intellecta, Ipsa existente intuita. Et ita denominatio seu connotatio contingentiam non inducit.

Nec valet motivum secundae opinionis, quia non est verum quod praescientia sit quid posterius acceptione voluntatis, aut sequatur eius determinationem, quia nihil quod sit essentia sequitur voluntatem; nunc autem praescientia idem est et re et ratione quod ratio Deitatis, ut supra dictum est de omnibus attributis, nisi quod addit certum connotatum ratione cuius non potest esse posterior voluntate, quia Deitas ea necessitate qua est exemplar omnium connotat omnia tamquam scita ex sui cognitione; constat autem quod est exemplar necessarium ex natura rei, non dependens in exemplando a determinatione voluntatis, et ita nec in connotando.

Quod ponendo praescientiam immutabilem ponitur necessaria, et quod necessitas et immutabilitas idem sunt, nam immutabilitas absoluta est necessitas absoluta, et conditionata est conditionata, contra secundam opinionem. Tertia quoque propositio est quod necessitas et immutabilitas idem sunt, ita quod ponendo praescientiam immutabilem necesse est eam ponere necessariam. Quorum enim est eadem diffinitiva ratio, illa sunt eadem, cum diffinitio indicet esse rei; sed immutabile non est aliud quam illud quod non potest aliter se habere, mutari enim est aliter se habere nunc quam prius, ut patet V *Physicorum*; necessarium autem secundum Philosophum est illud quod impossibile est aliter se habere, et de hoc magis visum est supra, distinctione VIII, quaestione de immutabilitate, articulo primo, contra primam opinionem.

Sed forte dicitur quod immutabilitas et necessitas differunt in hoc quod necessitas excludit possibilitatem ad duo contradictoria successive, et ad duo contradictoria simul, sicut patet quod triangulum habere tres necessarium est, quia nec successive nec simul potest tres <angulos> non habere; immutabilitas vero excludit possibilitatem non ad contradictoria successive, sed simul, sicut patet quod Sortem sedere quando sedet est immutabile, quia contradictoria inessent simul – non tamen est necesse esse formaliter, immo est quoddam contingens. Unde reduplicatio, cum dicitur ‘omne quod est, quando est, necesse est esse’, potest ferri ad subiectum sine hoc quod feratur ad compositionem, ut sit sensus: ‘Omne quod est, quando est, est quoddam necessarium’, et sic non est verum, immo remanet contingens; vel potest determinare compositionem praedicati ad subiectum, sive ferri ad praedicatum, ut sit sensus: ‘Quod omne quod est, est necessarium esse, quando est’, quia simul contradictoria esse non possunt, et sic est propositio vera. Nec tamen verum erit quod illud sit ens necessarium, sed immutabile tantum.

Si utique sic dicatur, non valet, idem enim est de immutabili sicut de necessario. Non enim Sortem currere est quoddam immutabile simpliciter, sicut nec necessarium, est tamen necessarium et immutabile cum ista determinatione: Simultas enim contradictoriorum est

impossibilis, et non simultas est quoddam necessarium, sicut et immutabile. Unde decepti sunt sic dicentes, quia putaverunt incommutabile ex suppositione non esse necessarium ex suppositione, et assignaverunt diversitatem inter necessarium absolute et incommutabile ex suppositione, non attendentes quod incommutabile simpliciter idem sit quod necessarium simpliciter, et incommutabile ex suppositione idem quod necessarium ex suppositione. Contingens ergo, utpote Sortis sessio, relatum ad futurum est ad utrumlibet; positum tamen in actu, et transiens in praeteritum incommutabile et necessarium est. Nec tamen tollitur quin Sortes sedeat libere, quia libertatem non impedit necessitas immutabilitatis, cum libertas consistat in complacentia. Quod enim fit complacenter, fit libere, ut dicebatur supra.

Quod nulla est distinctio dicentium quod scientia Dei est necessaria in se, contingens vero ratione transitus super obiectum contingens et futurum, contra tertiam opinionem. Quarta demum propositio est quod non est competens illa distinctio dicentium quod praescientia est necessaria in se, quoad realitatem importatam, cum sit idem quod divina essentia, est tamen contingens quantum ad transitum super obiectum. De ratione quidem scientiae est transire super obiectum, non enim potest esse nec intelligi quin transeat super obiectum; sed nulla res potest esse necessaria quin necessarium sit quidquid est de formali ratione et conceptu illius sine quo nec intelligi nec esse potest; ergo non est possibile quod scientia in se sit necessaria quin etiam necessarius sit transitus super obiectum.

Et si dicatur quod verum est de obiecto primario non secundario, non valet. Tum quia super obiectum secundarium non transit nisi denominative tantum, sicut pictura dicitur denominare pictum; denominans autem, si sit necessarium in se, est necessarium in denominando, ut patet quod si pictura esset quid necessarium, semper denominaret pictum. Tum quia intellectio creaturae non potest esse aut intelligi sine creatura, et ideo, eo modo quo huiusmodi intellectio respicit creaturam, necesse est quod necessario respiciat, ut si respicit tamquam obiectum secundario terminans, necessario terminetur. Si vero ut denominatum tantum, necessario denominet, et ita patet quod ille transitus necessarius est.

Praeterea, talis transitus ad creaturas, secundum istos, tamquam ad obiecta secundaria terminatus, non est dubium quod est aliquid relativum; sed constat quod nulla contingentia potest esse in relativo quin sit in aliquo absoluto, cum non acquiratur relatio, absoluto non acquisito; ergo poni non potest quod scientia Dei sit necessaria quantum ad id quod est absolute, contingens vero quantum ad transitum.

Praeterea, aut huiusmodi transitus fundantur super eodem absoluto, aut super alio; sed non potest dici quod transitus super duo opposita fundentur in alio et alio absoluto, tum quia aliud et aliud absolutum in Deo non est, tum quia illa absoluta essent contingentia, ex quo illi transitus contingentes essent; ergo necesse est transitus istos fundari super eodem absoluto, et sic uterque erit necessarius, sicut et absolutum.

Praeterea, si contingat huiusmodi transitus super opposita ad utrumlibet esse, ita quod Deus ab aeterno potuit transire super Antichristi futuritionem et ipsam praescire, vel super eius oppositum, quaerendum est de ista contingentia, circa quid poneretur inherenter? Aut enim circa Deitatem, cui iste transitus, quantum est ex se, posset inesse vel non inesse, aut circa obiecta secundaria, quia licet transitus ille semper esset in divina essentia, posset tamen terminari et ad istud, vel ad eius oppositum; sed non potest dari primum, quia tunc non esset Deus necesse esse formaliter quantum ad omne conceptum ut Sibi inherens, unde haberet potentiam passivam ad utrumlibet, quod repugnat necessario in summo cuiusmodi est Deus; nec potest etiam dari secundum, quia manente transitu, semper intelligi oportet quod maneat terminus super quem transit etiam secundario; igitur id quod prius.

Sed forte dicetur quod immo visio cadens super albedinem potest manere eadem, quantumcumque substantia subiecta albedini varietur, quae est obiectum secundarium, sicut patet de intuente hostiam in hora consecrationis; manet enim eadem visio et tamen transit obiectum secundarium, scilicet substantia panis.

Non valet quidem, quia substantia habet rationem obiecti materialis, non obiecti secundarii; materiale quidem obiectum non perfecte cognoscitur nec distincte; et ideo eius absentia non

facit variationem in actu. Non sic autem est de creaturis respectu Dei quod modo materiali cognoscantur, ita quod non perfecte, nec distincte.

Ulterius forte dicetur quod sicut absolutum intellectionis create, quod est species, potest separari ab actu repraesentandi – ut superius dicebatur quod apparentia obiectiva, quae integrat rationem intellectionis, separari potest ab apparentia formali, quae est ipsa species, per absolutum intellectionis – et sic non est inconueniens quod talis transitus obiectivus contingens sit in Deo, dato quod essentia absoluta, in qua fundatur huiusmodi transitus, sit quoddam necesse esse.

Si utique sic dicatur, non valet, quia in nobis habet hoc ortum ex limitatione intellectus, qui non potest ferri obiective in plura; et ideo species omnes existentes in intellectu non possunt esse in actu repraesentandi simul, propter quod est in prospectu intellectus nunc una apparentia obiectiva, nunc alia. Et dicitur acies cogitantis sive intentio, quia non potest simul ferri in omnia, quamvis habeat simul species et similitudines plurium esse limitata. Non est autem sic in Deo, cum sit omnino illimitatum.

Et iterum in divino prospectu non est nisi una apparentia obiectiva, scilicet verbum. Creaturae enim non ponuntur in tali esse, ut supra probatum est, et ideo talis contingentia poni non potest in Deo circa apparentiam obiectivam; et certe, si poneretur, non apparet quin mutatio poni posset, quia talis apparentia non esset inherens Deitati, sed obiective assistens. Unde sicut absque mutatione ponit Deus res in esse reali, et tollit, sic absque Sui mutatione posset nunc creaturam aliquam ponere in apparentia obiectiva, nunc tollere, et essent volubiles cogitationes suae, et alternate; quod est contra Augustinum XV *De Trinitate*, capitulo XIII.

Nec valet quod aliqui dixerunt talem mutationem non posse poni in divino prospectu, quamvis sit ibi contingentia propter nunc aeternitatis, quod indivisibile est. Contradictoria autem simul esse non possunt in eodem instanti, quamvis possint esse divisim.

Non valet utique, quia in eodem nunc permanente non apparet quin contradictoria possint esse, quia aequipollet pluribus nunc transeuntibus. Unde si tota duratio angeli indivisibilis sit, et tamen pluribus instantibus temporis coexistat, non apparet quin in illa duratione possint poni contradictoria pro diversis instantibus temporis.

Et iterum contradictio esset ponere contingentiam in nunc aeternitatis, quia ponendo contingentiam ponitur quod contingens possit tolli; ponendo autem aeternitatem indivisibilem, et uniformiter se habentem, ponitur quod non possit tolli.

Conclusio totius articuli. Sic igitur patet quod scientia Dei est quoddam necesse esse formaliter, non solum in se et absolute, immo quantum ad omnem transitum suum. Non enim transit terminative nisi super verbum, vel super essentiam constitutam in apparentia obiectiva. Ille autem transitus non est contingens, sed quoddam necesse esse, sicut et verbum. Transit autem in creaturas denominative tantum. Talis autem denominatio contingens esse non potest, posito denominante formaliter necessario.

Et si dicatur quod secundum hoc indiget aliquid quod est in Deo creaturis, saltem per modum quo denominans indiget denominato, dicendum quod id quod denominat denominato non indiget, sicut patet de pictura. In quantum vero denominat, accipitur per intellectum cum denominato seu connotato. Non est autem inconueniens quod aliquis conceptus formatus a nobis de Deo claudat in se Deitatem et creaturam ut denominatam, et per consequens quod talis conceptus indigeat creatura apprehensa ut connotata; quamvis sit impossibile quod Deitas, ut est intellectio creaturarum, indigeat creatura posita in esse prospecto.

Et in hoc articulus primus finitur.

Articulus Secundus

Qualiter contingentia sit in rebus. Opinio Thomae *Scripto* primo, distinctione XXXVIII, et parte prima, quaestione XIII, articulo XIII Circa secundum vero considerandum quod aliqui dixerunt contingentiam rerum ortum habere non quidem a causa prima, cuius scientia necessaria est, sed potius ex conditione causarum secundarum: “Licet enim causa suprema sit necessaria, tamen effectus potest esse contingens propter causam proximam contingentem” <...> “quia

virtus causae prime recipitur in causa secunda, secundum modum causae secundae, sicut patet in floritione arboris, cuius causa remota est motio solis, proxima autem virtus generativa plante. Floritio autem potest impediri per impedimentum virtutis generative, quamvis motus solis invariabilis sit” <...> “Consimiliter ergo scita a Deo sunt contingentia proper causas proximas, licet Dei scientia, quae est causa prima, sit necessaria.”

Opinio Scoti, in primo suo. Dixerunt vero alii quod contingentia rerum non potest habere ortum a causis secundis, si causa prima sit necessaria. Unde prima ratio contingentiae est in voluntate divina, vel in eius actu comparato ad alia a se. Et hoc quidem patet, tum quia nihil esset contingens in universo, nam causa secunda non movet nisi in quantum movetur a prima; causa autem prima necessario movet, secundum sic ponentes; ergo causa secunda necessario movebit, et sic omnis effectus necessarius erit. Tum etiam quia tolleretur omnis causa secunda pro eo quod causa prima naturaliter prius movet quam secunda; in illo autem priori causabit necessario et perfecte, cum sit infinitae virtutis; et ita in secundo instanti causa secunda nihil causare poterit nisi idem bis producat, quod intelligibile non est. Tum quia malum non esset in rebus pro eo quod nulla perfectio possibilis haberi a toto universo, vel ab aliquo speciali ente, sibi deficeret, quia prima causa, cum sit perfectissima, causaret in quolibet tantam perfectionem quantum posset effectus ille recipere; et ita nihil debitum inesse alicui deesset illi.

Sic igitur aliquid potest esse contingens et ex parte causae prime et ex parte causae secundae, sicut actus liberi arbitrii, aliquid vero ex parte causae prime sed non causae secundae. Et sic omnia sunt contingentia quantum ad suas existentias, Deo excepto. Celum enim, et terra, et motus solis ac stellarum contingentes sunt, et subsunt divinae voluntati. Aliquid vero esse contingens respectu causae secundae et necessarium respectu causae prime impossibile est, sicut probatum est. Et similiter impossibile est quod aliquid sit contingens et tamen non respectu causae prime nec causae secundae.

Qualiter autem prima ratio contingentiae possit esse in actu divinae voluntatis declaratur ab istis ex his quae apparent in nostra voluntate. Est enim considerandum quod quintuplex contingentia reperitur in voluntate nostra:

Prima quidem ad actus diversos, utpote ad velle, et nolle, et ad plures volitiones. Haec autem contingentia imperfectionis est, posse scilicet actus diversos.

Secunda vero est ad obiecta diversa, voluntas enim nostra potest in diversa volita. Et hoc quidem perfectionis est, nisi quatenus potest in illa per diversos actus. Unde si eodem actu posset, magne perfectionis esset.

Tertia vero est ad effectus diversos. Procedunt enim contingenter effectus ex imperio voluntatis. Et haec contingentia praesupponit secundam.

Quarta vero est ad diversa volita successive, quia pro diversis instantibus potest diversa velle. Et hoc est imperfectionis, quia mutationem includit.

Quinta vero est ad diversa volita pro eodem instanti divisim. In illo enim instanti in quo voluntas fertur in aliquod obiectum, contingenter fertur, ita quod in eodem instanti posset velle oppositum, alioquin necessario vellet. Et talis contingentia etiam perfectionis est, cum ponat libertatem respectu talis obiecti.

Sic igitur ad propositum, tres modos contingentiae perfectionem importantes Deo attribuendo, possumus dicere quod divina voluntas eodem actu fertur contingenter in omnia volita secundaria quae sunt alia a se – non quidem successive, quia in aeternitate successio non est, sed pro eodem instanti quo fertur in unum volitum posset ferri in suum oppositum, quamvis non simul, ita quod haec potentia prior est naturaliter actu contingente, non tamen duratione. Et ex hoc sequitur alia contingentia ad effectus oppositos. Et secundum hoc patet quomodo ratio contingentiae non repugnat divinae voluntati, quia eodem actu immutabili fertur ab aeterno in aliquod volitum quod efficitur ex tempore, in cuius oppositum posset etiam ferri ab aeterno. Et ex hoc oritur contingentia rerum.

Quid dicendum secundum veritatem. Et primo quod contingentia rerum est quoddam per se notum, ita quod nec a priori, nec a posteriori potest per aliquid notius declarari. Restat

igitur nunc dicere quod videtur sub quadruplici propositione. Prima quidem quod contingencia multarum rerum, maxime earum quae pendent ex libero arbitrio, est adeo per se nota quod declarari non potest nec a priori nec a posteriori per aliquid notius. Illud enim quod immediate sub experientia cadit per se notum est, nec indiget notiori demonstrante, sicut per se notum est cum dicimus ista verba, quod non sumus in sompnis sed in vigilia, ut Commentator dicit in III *Metaphysicae*, commento 26, et similiter per se notum est cuilibet quod vivit et est – hoc enim experientia docet; sed quilibet experitur se elicere actus liberi arbitrii contingenter; ergo per se notum est quod talis contingencia est in rebus. Unde neganti huiusmodi contingenciam – sicut accidit de aliquibus qui, cum fecerunt aliquid, aut dixerunt, imaginantur quod ita fieri oportebat, ita quod dum sederunt dicunt quod eos necesse fuit sedere – respondendum est quod etiam dum illa dicunt, dormiunt et decipiuntur, et illa vident in sompnis. Non enim magis est notum eis quod non dormiant quam quod de necessitate non agant sed contingenter.

Praeterea, cum negantibus per se nota disputandum est cum penis. Contingit enim hoc eis ex infirmitate et debilitate iudicii quae non curatur per rationes; sed sic disputandum est cum negantibus contingenciam rerum et asserentibus quod omnia aguntur de necessitate; tales enim fustigandi sunt, et dicendum est eis quod non potest aliud facere eos verberans, aut in ignem vel aquam impellens, sicut docet Avicenna, ut si reputent hoc absurdum, convincantur confiteri quod possibile est aliter evenire, et ita contingenciam esse in rebus; igitur istud est per se notum.

Praeterea, si a posteriori probaretur contingencia actuum humanorum, hoc esset quia superflueret consilium, sollicitudo, pene, et persuasio ad bonum, et pene totum negotium politicum; istud autem est minus notum quam contingencia ipsa, omnis enim sollicitus et consilians supponit quod potest contingere ad utrumlibet, hoc vel illud; puniens quoque et praemians supponunt quod potuit aliter evenire; non igitur potest probari contingencia a posteriori per aliquid magis notum.

Similiter nec a priori, quia contingencia est de primis differentiis entis eo modo quo ens differentias habet. Est enim de conditionibus generalibus, quia circuit omne praedicatum. Non habet igitur aliquid prius, nec oportet, si necessitas est in rebus aliquibus, quod oppositum, scilicet contingencia, sit in rerum natura. Ab aeterno enim fuit necessitas in Primo Principio, nec tamen fuit aliqua res contingens. Unde illud principium: ‘Si unum oppositorum est in natura et reliquum’, intelligi debet de possibili, non tamen de facto esse. Si enim una differentia est possibilis, et sua opposita est possibilis, et si imperfectior sit, non oportet tamen quod si una sit in actu reliqua sit in actu. Igitur adeo nota est contingencia quod non potest per notiora probari.

Quod impossibile est res contingentes esse in ordine ad causas proximas, et necessarias in ordine ad divinam scientiam, immo sunt uniformiter contingentes et necessarie in ordine ad utrumque, contra primam opinionem. Secunda vero propositio est quod impossibile est res esse contingentes per respectum ad causas proximas, et necessarias in ordine ad divinam scientiam, immo sunt uniformiter necessarie et contingentes per respectum ad utrumque. Res enim possunt accipi ut futurae vel ut positae iam in actu; sed ad quaecumque comparentur, iam positae in actu necessarie sunt; res enim existens in ordine ad causam proximam necessaria est, quia causa non potest non causare vel causasse, ex quo effectus est in actu; si sic etiam ad divinam scientiam comparentur res, necessariae sunt. Res vero ut futurae comparatae ad causas proximas contingentes sunt, et similiter comparatae ad divinam scientiam; non enim comparantur sibi ut futurae respectu ipsius, sed ut futurae in seipsis respectu instantis praesentis; ut sic autem, nescit eas Deus determinate, immo ut ad utrumlibet possibles. Ergo uniformiter contingentes sunt et ad utrumlibet per respectum ad divinam scientiam et ad causas proximas suas.

Praeterea, divina scientia secundum istos non habet rationem causalitatis respectu rerum, nisi secundum quod habet voluntatem coniunctam; sed secundum eosdem alibi, Deus non vult de necessitate naturae alia a Se, sed potius contingenter; ergo scientia non est causa necessaria rerum, cuius oppositum assumunt.

Est ergo considerandum quod non fuit intentio istorum quin contingencia esset in rebus ex parte divinae voluntatis, saltem quantum ad existentias, alias necessitate naturae creasset

mundum, quod est erroneum, et cuius oppositum isti dicunt. Et ideo non intellexerunt quod imponunt eis positores opinionis secundae, scilicet quod Deus in causando sit causa necessaria, et quod contingencia sit in rebus ex causis secundis. In hoc ergo deficiunt primi quod dicunt res esse contingentes in ordine ad causas proximas, non autem in ordine ad scientiam divinam, quamvis sint contingentes in ordine ad voluntatem.

Non valet autem exemplum de floritione, quia sol et virtus plantae sunt elicivum principium respectu floritionis. Non est autem sic de divina scientia respectu futurorum, quia non ea elicit, sed exemplat.

Quod rerum contingencia non efficitur in rebus ex voluntate beneplaciti, aut ex aliquo actu intrinsece existente in divina voluntate, contra secundam opinionem. Tertia quoque propositio est quod res contingentes non profluunt in esse nec trahunt contingenciam effective ab aliquo actu intrinseco existente in divina voluntate. Actus enim intrinsecus divinae voluntati fertur simul in utramque partem contradictionis, et non magis in unam partem quam in aliam; complacet enim Deus necessitate naturae aequae in creatione mundi sicut in non creatione, et aequae vult actu intrinseco, et econverso. Quod patet, quia quicquid est possibile in Deo est de necessitate in Eo, nam in necesse esse, quicquid est possibile est necessarium; constat autem quod Deus potest complacere et velle non entitatem mundi, saltem potuit ab aeterno, alioquin de necessitate mundum fecisset, et dum mundus non erat, Suum beneplacitum non fuisset impletum; igitur si potuit ab aeterno velle non entitatem mundi actu intrinseco beneplaciti, et hodie de necessitate vult eam, alias posset aliquid esse in Deo quod actu non esset, et posset aliquid esse Deus quod actu non esset Deus. Et secundum hoc necesse est dicere quod Deus non magis vult de aliqua re contingenti quod fiat quam quod non fiat, sed placet Sibi quodcumque fiat, nec desiderat plus unum quam aliud. Sed manifestum est quod a tali causa non potest determinatus effectus sequi, quia qua ratione unum contradictoriorum sequeretur, eadem ratione sequeretur et aliud, vel utrumque simul, quod impossibile est; ergo nullus effectus contingens producitur ex determinatione divinae voluntatis sic quod illa determinatio sit aliquis actus intrinsecus existens formaliter in Deo.

Sed forte dicetur quod licet actus voluntatis divinae possit esse ad opposita obiecta, non est tamen in actu nisi ad alterum, et ita determinat se non ad alium actum, sed actum indifferentem ad obiecta contradictoria determinat ad alterum obiectum, loquendo de obiecto secundario, non de obiecto primo; haec autem determinatio contingens est, quia pro eodem instanti aeternitatis posset esse divisim determinatio ad oppositum; postquam tamen determinatio facta est, mutari non potest.

Si utique sic dicatur, sicut etiam secunda opinio ponit, non valet quidem. Determinatio enim illa actus ad alterum obiectorum est in Deo, et similiter determinatio illa, qua posset Se determinasse ad alterum, possibilis est poni in Deo, vel fuit poni possibilis ab aeterno; sed quicquid fuit poni possibile in Deo est actu positum, alias non esset actus purus cui nulla admiscetur potentia, nec esset Deus necessitas pura, quod erroneum est; ergo determinatio actus ad utrumque obiectum est actualiter.

Praeterea, numquam natura contingentis mutatur in naturam necessariam, ut Commentator dicit XII *Metaphysicae*, commento XL; sed secundum sic dicentem, velle divinum contingenter respicit utramque partem contradictionis; ergo quantumcumque determinetur ad alteram partem, determinatio ad aliam est sibi contingens, et nullo modo impossibilis, alioquin altera pars de contingenti transivisset in necessarium; constat autem quod nulla determinatio intrinseca est Deo possibilis, vel contingens, quin actu sibi insit etiam de necessitate; relinquatur ergo quod actus determinatus sit ad utrumque contradictoriorum simul.

Praeterea, ubicumque est contingencia, necessario potest esse successio utriusque partis contradictionis, et per consequens ibi possunt intervenire instantia diversa, quia in eodem instanti non possunt inesse ambo contradictoria – quamvis enim Sortem non currere impossibile sit dum currit, tamen in alio instanti possibile est ipsum non currere propter naturam contingentiae, et ideo hoc habet contingencia ex natura sua quod sit possibile aliud instans; sed secundum modum istum dicendi, actus divinae voluntatis respicit contingenter utramque partem

contradictionis; ergo quantumcumque ab aeterno determinaverit se, possibile erit poni aliud instans in quo ad oppositum determinare se possit, et ita in aeternitate erit possibile aliud instans ex vi contingentiae; et per consequens aeternitas alterius oppositi et contingentia sibi repugnant, loquendo tamen de aeternitate immutabili in qua non possit aliud nunc accipi in quo possibile sit poni alterum oppositum contingens. Unde salvare immutabilitatem, posita contingentia, propter nunc aeternitatis, est salvare unum repugnans per aliud, cum contingentia exigit in mensura contingentis aliud nunc esse possibile, et ita divisibilitatem durationis; aeternitas vero sit omnino indivisibile quid.

Praeterea, declaratum est supra quod aeternitas non est aliquod nunc, nec mensura durationis, sed est quaedam necessitas essendi, connotans omne tempus factibile aut imaginabile in infinitum – connotat, inquam, ipsum per modum substrati, non per modum mensurae; sed necessitas essendi repugnat contingentiae; ergo aeternitas divina et aeternitas suae volitionis, aut determinationis ad aliquod obiectum, repugnat contingentiae cuicumque. Unde non potest esse talis immutabilitas propter hoc quod duo contradictoria non possunt esse simul, sicut immutabile est quod Sortes non currat dum currit. Non enim est aliquod nunc, aut aliqua simultas talis in Deo, sed aeternitas est necessitas essendi, connotans omne tempus. Propter quod repugnantia est ibi impossibilitas simpliciter, non autem ex simultate.

Praeterea, inintelligibile est, manente eodem actu voluntatis cadente super utramque partem contradictionis, aut possibili eadem, quod transeat super unam et non transeat super aliam sine aliqua variatione contingente in actu. Quaerendum est enim, posito quod actus divinae voluntatis sit determinatus ad creationem mundi, si fuisset ab aeterno determinatus ad non creandum, utrum nunc esset aliquid in Deo quod non sit? Sed non potest dici quod aliquid, quia secundum hoc Deus careret aliquo quod posset esse in Eo et esse Deus; nec potest dici quod nihil, quia si nihil amplius est in Deo quam si determinasset Se ad non creandum; igitur et determinatio ad non creandum est actu in Deo, constat enim quod si determinasset Se ad non creandum, huiusmodi determinatio esset in Deo; igitur necesse est quod actus voluntatis divinae transeat de necessitate et indeterminate super utramque partem contradictionis.

Quod contingentia rerum in existendo habet ortum a voluntate operationis, sive a voluntate prout accipitur pro operatione, quamvis contingentia compositionis et divisionis habeat ortum ex natura rei. Quarta demum propositio est quod contingentia et necessitas potest accipi vel in essendo vel in componendo et dividendo. In componendo quidem et dividendo cathgorice haec est necessaria: ‘Triangulus habet tres’, et ista: ‘Diameter non est commensurabilis coste’. Hypothetice vero, ut: ‘Si sol est super terram, dies est’. Et per oppositum contingentia est in propositionibus istis: ‘Sortes est albus’, vel: ‘Si homo est, album est’. Huiusmodi autem contingentia vel necessitas ortum habet ex natura rei et ex terminis, sicut patet. Et secundum hoc possumus dicere quod omnes actus liberi arbitrii, elicit, vel imperati se habent contingenter ad voluntatem. Vel potest accipi contingentia et necessitas in essendo vel existendo, et sic solus Deus est necessarius, et omnis creatura contingens. Oritur autem haec contingentia quia res non sunt a se, nec sunt ex aliqua determinatione intrinseca existente in Deo, sed ex determinatione quadam extrinseca quae appellatur ‘operatio’, sicut si ignis haberet in sua potestate non comburere, nunc quidem combureret, nunc vero non combureret, absque omni determinatione praevia existente in se. Sicut etiam ponentes voluntatem activam habent dicere quod ipsa ut activa, existente penitus indeterminata, seipsam determinat ut passiva, absque omni determinatione praevia suiipsius ut activa. Sed de hoc amplius inquiretur in tractatu de voluntate.

Est igitur considerandum quod in Deo debet intelligi duplex necessitas et una contingentia respectu productionis creaturarum:

Prima quidem necessitas quod eodem actu quo vult Suam essentiam, vult creaturas, non solum quoad essentias, sed quoad existentias earumdem, non quod desideret earum existentias, sed complacet in eis. Secunda vero quod eodem actu vult utramque partem contradictionis sub indifferentia et indeterminate, ut quod mundus sit vel non sit.

Oritur autem tunc tertio contingentia, quia cum indeterminata sit voluntas Dei ad utramque partem contradictionis, operatio Dei per quam attingit creaturas omnino contingens est, quia non est aliquid in Deo per quod determinetur ad operandum vel non operandum. Sed est in Sua potestate utrumque et operatur vel non operatur, absque hoc: Quod intrinsece determinet Se, quia nulla talis intrinseca determinatio est possibilis quin esset necessaria, quia id ipsum quod Deus. Et ita contingentia quam habet creatura in existendo oritur non ex contingentia intrinsece voluntatis, sed cuiusdam extrinseci, scilicet operationis, quae appellatur ‘voluntas signi’, ut magis inferius apparebit.

Potest autem ex praedictis concludi quomodo non est vera opinio dicentium quod Deus cognoscit existentias futurorum cognoscendo nutus et determinationes voluntatis suae. Supponunt enim isti determinationes intrinsecas in divina voluntate, cum tamen unico actu simplici et incommutabili ac necessario indeterminate complacet in utraque parte contradictionis.

In hoc ergo articulus secundus finitur.

Articulus Tertius

An immutabilitas divinae praescientiae infallibiliter inducat eventum immutabilem omnium futurorum. Opinio Thomae ubi supra. Circa tertium vero considerandum quod immutabilitas divinae praescientiae videtur imponere necessitatem rebus futuris pro eo quod necessario sequitur: ‘Si Deus praescit hoc esse futurum, igitur illud erit’. Constat enim quod haec consequentia necessaria est; antecedens autem videtur necessarium ex quo supponitur quod Dei scientia immutabilis sit, et ita consequens erit necessarium et eveniet de necessitate.

Dixerunt ergo aliqui quod antecedens et consequens sunt hic necessaria. “Quando enim in antecedente ponitur aliquid pertinens ad actum anime, consequens est accipiendum non secundum esse quod in se est, sed secundum quod est in anima.”<...>“Utpote, si dicam quod ‘si anima intelligit, illud est immateriale’, intelligendum est quod ‘illud’ est immateriale secundum quod est in intellectu, non secundum quod est in seipso; et similiter, si dicam, ‘Si Deus scit aliquid, illud erit’, consequens intelligendum est prout subest divinae scientiae, scilicet prout est in sua praesentialitate, et sic necessarium est sicut et antecedens, quia ‘esse quod est, quando est, necesse est esse’, ut dicitur primo *Peri hermeneias*”; sic igitur consequens est necessarium inquantum scitum a Deo, non autem in seipso.

Sed hic modus dicendi stare non potest. Omnis enim propositio scita est vera prout est scita; sed haec propositio: ‘Hoc erit’, est de futuro, et ut sic conceditur ab istis ut a Deo scita, dicunt enim quod Deus scit quod hoc erit, ita quod hoc antecedens est necessarium: ‘Deus scivit hoc futurum’; ergo haec propositio est necessaria et vera: ‘Hoc erit futurum’, quia ut sic concesserunt quod subest divinae scientiae; unde concedendo quod futurum non subest cognitioni divinae nisi in sua praesentialitate, habuerunt negare hanc propositionem: ‘Deus scivit, vel scit hoc esse futurum, vel quod hoc erit’, alioquin si haec propositio est scita: ‘Hoc erit’, de necessitate est vera et immutabilis, et per consequens futuritio rei est immutabilis, et non solum sua praesentialitas. Praeterea, in quacumque propositione ponitur aliquid pertinens ad actum anime, consequens accipiendum est secundum quod est in anima, ut isti dicunt; sed futurum contingens est in divino intellectu in sua praesentialitate reali, secundum quod ipsi dicunt; ergo concedi non debet consequens de futuro, scilicet: ‘Ergo Antichristus erit’, quod tamen ipsi concedunt.

Praeterea, ex notitia attingente rem ut praesentem potest inferri ‘res est in praesenti’, et similiter ex scientia quae attingit rem ut praeteritam potest inferri quod praeteriit, et ex illa quae attingit rem ut futuram potest inferri quod erit – unde sequitur: ‘Video Sortem sedere; ergo sedet’, quantumcumque ibi sit actus anime, et sequitur: ‘Vidi Sortem sedere; ergo sedit’, vel: ‘Videbo sedere; ergo sedebit’; sed secundum istos Deus videt futurum in sua praesentialitate; ergo sequitur quod futurum est in praesenti, non solum in praesenti videntis, sed in praesenti proprio, sicut sequitur: ‘Video Sortem sedere in sua praesentialitate; ergo praesentialiter sedet in se’; unde si Deus ab aeterno vidit Sortem sedentem in sua praesentialitate, sequeretur quod ab aeterno praesentialiter sedisset in seipso.

Nec valet exemplum. Secus est enim, quando accipitur res super quam cadit actus anime et quando accipitur aliqua propositio; secus est etiam cum accipitur aliqua propositio de praesenti, praeterito, vel futuro. Unde impossibile est quod scientia cadens super hanc propositionem: ‘Hoc erit’, sit necessaria et vera quin haec propositio sit necessaria: ‘Hoc erit’, aut est si dicatur: ‘Hoc est’, aut fuit si dicatur: ‘Hoc fuit’. Unde in proposito, si haec esset vera: ‘Scio lapidem esse immaterialem’, de necessitate sequeretur quod lapis esset immaterialis in se. Et huius ratio est quia esse quod accipitur in propositione significat veritatem secundum quam oportet conformari scientiam rei scitae in se. Unde nullus concedit quod haec sit vera: ‘Scio triangulum non habere tres’, licet non habere tres competat triangulo ut habet esse in intellectu falso. Ad hoc igitur, ut sit intellectus verus, oportet quod in se triangulus non habeat tres. Non est ergo simile cum dicitur, ‘Anima intelligit aliquid et illud est immateriale’, quia non dicitur quod intelligat ‘illud’ esse immateriale. Sed in proposito dicitur quod Deus scit Antichristum futurum.

Opinio Bonaventurae. Propterea dixerunt alii quod aliud est necessitas consequentiae, sive ex suppositione, quod idem est, et aliud necessitas consequentis, sive necessitas simpliciter. Verbi gratia, ‘Homo currit; ergo movetur’: Necessarium est quod homo moveatur si currat, necessitate scilicet consequentiae et ex suppositione, non tamen simpliciter et absolute. Sic igitur omnia futura sunt necessaria necessitate consequentiae, supponendo quod Deus praescivit, ex hoc enim sequitur quod erunt; in se tamen et absolute sunt contingentia.

Sed hic modus dicendi non evadit difficultatem. Quandocumque enim suppositio est immutabilis et inevitabilis per quodcumque consilium, si sit necessaria consequentia, impossibile est quod consequens necessarium ex tali suppositione sit evitabile quocumque consilio, aut sollicitudine, vel conatu; sed haec suppositio immutabilis est et inevitabilis, scilicet quin Deus sit praescius futurorum, nec oportet ad tollendum praescientiam consiliari aut sollicitum esse; ergo consequens quod infertur de necessitate, quantumcumque remaneat contingens, erit tamen inevitabile, et erit fatuum sollicitum esse de aliquo futuro, quia nihil potest mutari, sive hoc sit propter necessitatem consequentiae sive consequentis.

Praeterea, quandocumque consequens est necessarium ex suppositione, si antecedens est necessarium absolute, consequens est necessarium absolute, ut si ponatur quod Sortes sit homo, sequitur quod sit animal necessitate absoluta, quia quod supponebatur erat necessarium absolute; sed antecedens quod supponitur est necessarium absolute, probatum est enim quod Dei scientia non est quid contingens, sed quoddam necessarium; ergo si ex illa infertur eventus futurorum, oportet quod sit necessarius necessitate absoluta.

Opinio Richardi in primo suo. Ea propter dixerunt alii quod necessitas duplex est: Quaedam enim est causata, ut necesse est diem esse, si sol est super terram, et haec necessitas ex parte causae praecedit rem et facit eam esse; alia vero est concomitans, quae nihil cogit esse, ut necessarium est, si video te currentem, quod curras, non quod mea visio causaet cursum. Sic igitur praescientia non ponit necessitatem in rebus sic quod eam causaet, sed quia concomitatur. Et est exemplum ad hoc de speculatore qui ea quae aguntur in via intuetur, et tamen qui vadit per viam non videt illos qui post eum veniunt; nec propter hoc speculator necessitatem imponit illis quae fiunt in via.

Sed nec iste modus difficultatem evadit. De his enim quae sunt necessaria necessitate concomitante, non oportet sollicitari aut in oppositum conari, quia nihil immutaretur – si enim video te currentem, stante visione, non oportet sollicitari utrum curras vel non curras; sed praescientia divina semper stat, et immutabilis est; igitur si eventus futurorum concomitanter sunt necessarii, non oportet sollicitum esse de eis.

Opinio Scoti. Quapropter dixerunt alii quod aliud est contingentia, aliud vero immutabilitas. Licet enim pars futuri contingentis quae eveniet determinata sit a divina voluntate, et per consequens in praescientia, nihilominus voluntas Dei et praescientia contingens est, quamvis sit immutabilis. Et ideo eventus futurorum contingens est, non necessarius, quamvis sit determinatus. Nec propter hoc tollitur consilium, quia non est determinatus necessario, sed

tantummodo contingenter. Et ideo potest contingenter evenire oppositum, quamvis numquam eveniat.

Sed nec iste modus evadit. In omni enim consequentia necessaria, si antecedens est immutabile, consequens est immutabile; sed ex divina voluntate et praescientia sequitur quod sit determinatus eventus rerum; voluntas autem et praescientia immutabiles sunt; ergo eventus rerum immutabilis erit. Frustra autem sollicitatur aliquis aut consiliatur de eo quod mutari non potest. Unde aequè stultum est sollicitari de immutabili sicut de necessario, quia idem sunt, ut supra dictum est.

Opinio Henrici Anglici. Et ideo dixerunt alii quod praescientia Dei non imponit necessitatem eventui futurorum, quia sicut scit aliquem peccaturum, sic scit quod per voluntatem et liberum arbitrium peccabit; et sicut scit effectum contingentem quem aliquis faciet, ita novit quod mediante deliberatione et consilio faciet, et quod illi qui salvabuntur, per orationes ac diligentiam et sollicitudinem salvabuntur; et ita non tolluntur consilia nec conatus ex praescientia divina, quia totus processus cadit sub ea. Et haec videtur intentio Augustini, *De praedestinatione sanctorum*, et Anselmi, *De concordia praescientiae et liberi arbitrii*.

Sed nec iste modus dicendi sufficere videtur, quia secundum hoc totus processus et decursus eventus futuri cadit sub Dei praescientia. Quare non est minor difficultas respectu totius decursus quam respectu unius effectus praecise sumpti. Unde dicetur quod Deus praevideat quod iste sollicitabitur, ille non; et ita immutabile est quin iste sollicitetur et ille non. Hoc autem facto, tollitur persuasio. Non oportet enim persuadere isti quod sollicitetur, quia faciet sine hoc; nec illi, quia praevisum est quod non sollicitabitur. Unde patet quod remanet difficultas.

Opinio Durandi. Et idcirco dixerunt alii quod “circa eandem rem stat simul necessitas suppositionis et contingentia simpliciter,” sicut Sortes, dum currit, necessario currit ex suppositione; et tamen suum currere est liberum et contingens. Necessarium autem ex suppositione potest sciri infallibiliter, dato quod non sit simpliciter necessarium, sicut patet in cursu Sortis, dum currit. Sed manifestum est quod Deus potest scire existentiam futuri contingentis ex suppositione: “A causa namque impedibili et simpliciter contingente, supponendo quod non sit impedita, sequitur effectus infallibiliter et necessario necessitate praedictae suppositionis.” <...> “Intellectus igitur divinus, qui non solum novit causam futuri contingentis secundum se, sed novit perfecte concursum omnium eorum quae possunt impedire vel non, et quae impediunt vel non impediunt, et quae etiam determinabunt liberum arbitrium nostrum vel angeli et quae non,” cognoscit omne futurum, necessarium quidem ex suppositione; et ita infallibiliter cum hoc quod remanebit simpliciter contingens; ergo praescientia Dei non tollit contingentiam simpliciter a rebus. Est autem ad hoc unum exemplum de eo qui sciret “aliquam constellationem quae facit herbam florere propter suam caliditatem; ex motu autem corporis supra celestis supervenit alia constellatio quae sua frigiditate impedit herbam ne ultra floreat.” Si ergo esset aliquis qui sciret omnes constellationes, sciret quis effectus impediatur et quis eveniet.

Sed iste modus dicendi deficit in tribus. Primo quidem quia difficultatem non tollit. Necessarium enim ex suppositione, etsi sit contingens simpliciter, est tamen immutabile et omnino inevitabile, stante praedicta suppositione; sed ab aeterno stat et immutabiliter praescientia causarum et omnium quae concurrunt ad ipsum effectum futurum, et novit immutabiliter quod omnia sic concurrent; igitur consiliari non oportet de eo quod mutari non potest.

Secundo vero deficit in eo quod ait Deum scire omnia quae possunt determinare liberum arbitrium et quae determinabunt. Petit enim principium, quamvis enim appareat quod novit omnia quae possunt determinare, tamen non patet quomodo novit quod actu determinent. Aut enim hoc novit cognoscendo liberum arbitrium, aut cognoscendo illa quae possunt determinare; sed non potest dari primum, quia liberum arbitrium indeterminatum est ad utrumlibet, et ita non potest quantumcumque sit cognitum determinate ducere in notitiam actualis determinationis;

similiter etiam non potest dari secundum propter eandem causam, quia omnia determinantia possunt determinare et non determinare; igitur nihil est dictu.

Tertio quoque deficit in exemplo quod ponit. Non est enim simile de eventibus naturalibus qui subsunt causalitati celesti et de actibus liberi arbitrii qui non subsunt alicui extrinseco determinanti. Illi quidem sunt necessarii in ordine ad concursum causarum; isti vero semper liberi sunt et contingentes. Quare illi scibiles sunt cognoscenti generaliter totam causalitatem celestem; isti vero scibiles non sunt per cognitionem quarumcumque causarum, cum non determinantur ab aliqua causa, sed immediate procedant ex arbitrii libertate.

Opinio multorum, et videtur oriri ex dictis Magistri in littera. Quocirca dixerunt alii quod haec propositio conditionalis: ‘Si Deus novit aliquid futurum, illud eveniet’, vel ista: ‘Prescitur necesse est fieri’, potest intelligi vel sub sensu diviso – et sic propositio est falsa, quia nec necessarium fuit praesciri nec necessarium est fieri – vel potest sumi sub sensu copulato, et sic est vera, quod scilicet, stante praescientia, necesse est ut fiat; sicut et propositio illa distinguitur: ‘Album potest esse nigrum’, est enim vera in sensu diviso, falsa vero in sensu composito. Oppositum autem est in proposito.

Sed nec iste modus evadit, quia semper stat suppositio et sensus compositus. Immutabile enim est hodie quin sit praescius Deus, et per consequens immutabile erit quin eveniat. Et qui vult conari ad oppositum deberet conari ad immutandam divinam praescientiam et eius intuitum de quo consiliari vanum est et superfluum. Igitur id quod prius.

Quid dicendum secundum veritatem. Et primo quod haec difficultas non oritur ex divina praescientia, nisi quatinus creditur quod ex ea propositio de futuro formanda sit vera. Restat igitur nunc dicere quod videtur sub triplici propositione. Prima quidem quod haec difficultas non oritur nisi quatinus putatur quod propositio formanda de eventu futurorum habeat ex divina praescientia quod sit determinate vera aut determinate falsa. Illud enim, quo circumscripto, adhuc sequitur eventus immutabilis omnium futurorum – alio tamen dato –, non videtur inferre eventum immutabilem nisi ratione alterius quod datur – si enim seipso inferret, et ex propria ratione, inferret utique, omni alio circumscripto, et eo circumscripto, aliud non inferret; sed manifestum est quod, circumscripta omni praescientia et omni intuitu contemplante futura, si tamen propositio formanda vel a casu vel quomodocumque de futuro contingenti sit determinate vera, eventus illius est necessario immutabilis. Si enim haec est vera: ‘Sortes erit in tali instanti’, de necessitate immutabiliter sic erit. Unde sequitur (et est consequentia necessaria ex veritate propositionis) positio sui significati pro illo instanti pro quo enunciatur, quia si non ponitur significatum, propositio non fuit vera. Et patet necessitas consequentiae per regulam positam primo *Priorum*, quia oppositum consequentis non stat cum antecedente. Non stant simul quod Sortes non legat cras in tertiis, et quod haec sit vera: ‘Sortes cras leget in tertiis’. Si enim non leget, non est vera. Sic igitur, dato quod nullus intellectus sit qui sciat an sit vera vel falsa, sed casualiter proferatur, patet nihilominus quod si propositio vera sit, immutabilis est eventus significatus per eam. Ergo praescientia nihil facit, nisi quatinus creditur quod de propositionibus istis determinatam veritatem.

Praeterea, Philosophus, primo *Peri hermeneias*, ex sola determinatione veritatis in propositione de futuro contingenti, demonstrat quod omnia evenient ex necessitate, nec oportebit consiliari, aut negotiari, et hoc sive aliquis dicat propositionem sive non dicat, quia propter nostrum affirmare vel negare nihil mutatur in re. Et est sua ratio potissima, quia si quod est album nunc fuit primo verum dicere quoniam erit album, semper fuit verum dicere ab aeterno, si esset dicens; ens autem sempiternum immutabile est, et per consequens veritas illa immutabilis est; veritas autem immutabilis esse non potest in propositione nisi significatum sit immutabile in essendo; significatum autem talium propositionum est quod res talis vel talis eveniet; ergo de necessitate eveniet, sive dicatur propositio sive non dicatur, et similiter sive intelligatur sive non intelligatur, quia ex hoc nihil mutatur in re. praescientia igitur non imponit necessitatem, si cum ea stet quod propositio de futuro contingenti non est determinate vera.

Praeterea, propositione de futuro contingenti existente nec vera nec falsa, quocumque alio posito, manifeste patet quod non sequitur immutabilis eventus rei. Detur enim quod eventus rei sit immutabilis, sequitur statim quod propositio enuncians illum eventum sit determinate vera; detur ergo quod non sit determinate vera, sequitur statim quod eventus non est determinatus, sed ad utrumlibet et indeterminatus; ergo divina praescientia, vel aliud quodcumque cum quo stare potest quod talis propositio nec vera sit nec falsa, nullam determinationem aut eventum immutabilem dabit futuro contingenti.

Quod non est alia via ad tollendum antiquam querelam de praescientia nisi negando quod det determinatam veritatem propositioni de futuro contingenti. Secunda vero propositio est quod quaestio de praescientia, de qua dicit Boetius V *De consolatione* quod est vetus et antiqua querela, “quae a Tullio cum divinationem distribuit vehementer est agitata, mihi que ipsi res diu multumque quaesita, nec ab ullo actenus satis diligenter ac firmiter expedita,” haec utique quaestio non aliter solvi potest nisi dicendo quod praescientia non dat propositioni de futuro contingenti quod sit determinate vera. Et ita solvitur de facili omnis ratio per quam infertur eventus immutabilis futurorum. Si enim dicatur quod: ‘Deus scit aliquid esse futurum, aut quod aliquid erit; igitur de necessitate illud erit’, oportet negare antecedens. Ista enim est impropria: ‘Deus scit quod Antichristus erit’, et in sua proprietate falsa. Haec enim propositio: ‘Antichristus erit’, non est scibilis ab aliquo intellectu, quia non est in se neque vera neque falsa; scientia autem verorum est; non scit ergo Deus si Antichristus erit, secundum proprietatem istius propositionis. Adhuc si assumatur de praesenti: ‘Deus scit quod Antichristus est; igitur erit’, antecedens est falsum; igitur consequentia nulla. Similiter si dicatur: ‘Deus scit quod Antichristus fuit; igitur erit’, consequentia nulla. Cum igitur non possit aliqua propositio formari alicuius temporis super quam cadat divina praescientia quae possit poni pro antecedente ad inferendum eventum futurorum, manifeste patet quod Dei praescientia non impedit contingentiam eorum. Si enim necessitatem imponeret, aut imponeret causando eam aut concomitando et inferendo eam; constat autem quod non causat, sicut nec visio sessionis Sortis causat ipsam sessionem; nec etiam infert, ut declaratum est; igitur nullo modo contingentiam tollit.

Est ergo considerandum quod ex inopia eloquii humani, quod exprimere non potest nisi per propositionem alicuius temporis praesentis, praeteriti, vel futuri, quod capit, et ex conditione intellectus nostri qui semper est cum continuo et tempore, ut Philosophus dicit in tertio *De anima*, oritur perplexitas istius quaestionis. Et hoc expresse dicit Boetius V *De consolatione*, cum ait quod: “Huius caliginis causa est quod humane ratiocinationis motus ad divinae praescientiae simplicitatem amoveri non potest. Etsi ullo modo cogitari queat, nihil prorsus relinquetur ambigui.”

Cogitemus ergo quod divina scientia adeo simplex est quod non distenditur per tempus ut sit expectativa futuri, aut memorativa praeteriti, aut intuitiva praesentis, sed omnino abstrahat ab istis, ut dicebatur supra. Tunc manifeste apparebit quod non infert suum cognitum nec ut futurum, nec ut praesens, nec ut praeteritum. Unde nullo modo potest aliqua consequentia cogitari inter scientiam Dei et eventum futuri. Nec etiam potest dici quod Deus sciat quid erit futurum in posterius, quia tunc respiceret illud ut distans. Nec etiam quod sciat quid actu est, quia tunc respiceret ut praesens. Propter quod dictum est quod huiusmodi propositiones sunt false secundum proprietatem sui significati. Sed per eas intendimus exprimere quod Deus non aliter novit rem aliquam positam in actu quam noverit ab aeterno, quod esse non posset si Sua scientia praecederet aut distaret ab actualitate rei; nam in illa praecessione aut indeterminata esset, aut si determinata, necessario rem ut futuram inferret. Nec est etiam simultanea cum actualitate, quia dum actualitas non esset, scientia non esset; quod falsum est. Est igitur simpliciter abstracta ab omni eo per quod inferret eventum futuri contingentis. Nihil enim retinet amplius nisi quantum actualitas contingentis posita tribuit tempori praeterito. Constat autem quod non tribuebat sibi determinationem aliquam ut esset verum quod erit, sicut apparuit in quaestione praecedenti in articulo ultimo. Hoc enim dependet ex his quae dicebantur ibi.

Quod praescientia non plus aufert consilium et conatum humanum quam actualitas contingentis postquam est posita abstulit quin esset ante consiliandum. Tertia quoque propositio est quod per istam viam salvatur omne consilium et humana sollicitatio de futuris, quia non plus tollit consilium quam actualitas posita abstulit quin esset ante consiliandum propter determinationem quam habet dum actu posita est. Constat enim quod sessio Sortis, quando posita est, habet determinationem, nec tamen illam transfundit in antea, sive in tempus praecedens, immo fuit penitus indeterminata et ad utrumlibet pro toto tempore praecedenti – et ideo consiliari potuit et sollicitari Sortes an esset currendum vel non currendum, sedendum vel non sedendum; sed manifestum est quod Dei scientia non maiorem determinationem dat huiusmodi sessioni pro tempore praecedenti – si enim daret, hoc esset quia praecederet actualitatem, et in illo tunc quo praecederet esset scientia determinate vera, et per consequens actualitas scita esset determinata; tollatur ergo, ne praecedat scientia, tunc non habebit ex natura scientiae actualitas sessionis quod sit determinata pro aliquo nunc praecedenti; ergo nec habebit quin de ea possit et debeat esse consilium et sollicitus conatus.

Praeterea, illa scientia non aufert consilium aut sollicitudinem vel conatum respectu futuri cui nulla propositio opponitur, nisi illa quae negat rem esse, quando est. Propter hoc enim tolleretur conatum, quia haberet oppositam propositionem cuius significatum non posset poni in actu, manente illa scientia in sua veritate; si autem nullum habet oppositum, nisi quantum habet actualitas rei, quando est posita, non plus impedit consilium quam actualitas impedivit – quicquid enim eveniet non discordabit a scientia, sicut nec pro praecedenti tempore quicquid eveniret discordabat cum actualitate iam posita; stant enim haec duo simul, scilicet quod haec actualitas modo sit posita determinate, et tamen quod heri aequae suum oppositum poni potuit sicut ipsa; unde non erat superfluum consilium nec conatus. Sed manifestum est quod divinae praescientiae nihil est oppositum nisi quantum est oppositum actualitati rei, dum est – ipsa enim abstracta est ab omni praeteritione et futuritione et indistat ab actualitate rei, et per consequens non plus respicit instantia praecedentia actualitatem quam actualitas respiciat; quicquid ergo eveniat in futurum non discordat a praescientia, sicut nec ab actualitate iam posita discordat aliquid quod esset heri venturum; igitur divina praescientia consilium non excludit.

Et si dicatur quod actualitati iam positae nunc repugnat aliquid quod erat heri venturum, videlicet oppositum ipsius actualitatis, dicendum quod heri non erat aliquid venturum vel futurum determinate. Non enim plus erat ventura actualitas quam eius oppositum, sed cum disiunctione erat venturum: Vel hoc vel illud. Quare non repugnabat quod erat heri venturum isti actualitati iam posite, et eadem ratione nec repugnabat divinae praescientiae. Unde patet quomodo ista non est propria: ‘Deus scit quid est futurum vel venturum’, quia nihil est determinate venturum vel futurum, sed tantum sub disiunctione ‘hoc vel illud’, et hoc utique Deus scit, scilicet quod hoc vel illud. Afirmatio vel negatio est ventura, sed determinate nescit quod affirmatio sit ventura, quia nec est ventura determinate. Deus autem scire non potest quod non est, alias sciret falsum.

Conclusio istius articuli. Ex praedictis colligi potest pro conclusione quod difficillimum est modum convenientem adhibere quo exprimat illa notitia quam Deus habet de futuro, quia nec istud est proprie dictum quod habeat notitiam de futuro, quia nulla res est futura nisi disiunctive, scilicet quod res vel suum oppositum est ventura. Similiter nec proprie dicitur quod actualitas futuri, quae ponitur, cognoscitur a Deo, quia supponitur quod illa actualitas sit futura, aut ponenda – non est autem nisi cum disiunctione, ipsa scilicet vel eius oppositum. Et breviter, nulla propositio in qua ponatur aliquid pertinens ad futuritionem exprimit proprie divinam praescientiam, immo est falsa in sua proprietate. Sed si dirigatur mentis aspectus ad aliquam rem positam iam in actu quae prius fuit contingens, nec magis ventura quam suum oppositum, possumus dicere quod illa fuit aeternaliter nota a Deo notitia non distante nec praecedente. Et ideo improprie etiam dicitur quod fuit nota, quia istud quandam praecessionem notitiae importat. Unde patet quod omnino deficit intellectus noster intuitivus in apprehendendo quomodo Deus absque omni praeteritione et praecessione scientiae novit actualitatem iam positam – et tamen non de novo sed ab aeterno. Semper enim intellectus immiscet

praeteritionem vel futuritionem, et exprimit cum propositionibus praeteritionem vel futuritionem includentibus, ex quibus incompetenter adiunctis, velit, nolit, quicumque intelligens divinam scientiam paralogizabit se ipsum, faciendo non causam causam. Non enim divina scientia infallibilis et certa, abstrahens ab omni futuritione, infert aliquam partem contradictionis determinate esse venturam, sed hoc infert futuritio falso apprehensa a nobis, vel potius false adiuncta et apposita ex nostro modo intelligendi.

Et in hoc articulus tertius terminetur.

Articulus Quartus

An contingentia rerum excludat immutabilitatem divinae praescientiae. Opinio Thomae in *Scripto primo*. Circa quartum vero considerandum quod aliqui dixerunt Deum posse non praescire quod praescit, et etiam praescire quod non praenovit, loquendo de scientia visionis per quam cognoscuntur quae aliquando in tempore sunt futura, non autem loquendo de scientia simplicis intelligentiae per quam cognoscuntur possibilita fieri quae non fient et possibilita fieri quae fient. Ista enim se extendit ad omnia, et ideo non potest se extendere ad plura vel pauciora. Cuius ratio sumitur, quia licet attributa sint idem realiter, rationes tamen eorum differunt, et ita aliquid attribuitur uni quod non competit alteri. Propter quod dicimus Deum scire quae non vult, vel quae non facit. Est autem intelligendum quod actus voluntatis liber est in egrediendo a voluntate, quia postquam transiit in praeteritum, iam non subiacet facultati ipsius. Actus autem divinae voluntatis numquam pertransit in praeteritum, sed est semper quasi in egrediendo a voluntate. Et ideo semper manet libertas divinae voluntatis. Unde Deus potest non velle quod vult; non tamen quod simul velit et non velit, vel ut nunc velit et postmodum non velit, quia ex parte voluntatis, cum sit immutabilis, non potest accipi nunc et post. Secundum hoc ergo potest concedi quod Deus potest non praescire quod praenovit, aut econverso, quia actus praescientiae subiacet voluntati. praescit enim Deus ea quae vult fieri et quae operaturus est; posset autem operari plura vel pauciora quam operetur si vellet; et ita praescientia videtur ad plura vel pauciora se posse extendere quam extendat. Licet autem sic possit, tamen praescientia immutabilis est. Unde distinguendum est secundum sensum coniunctum et divisum, quia coniunctim non est verum quod Deus possit non scire quod scitum est ab Eo, quia mutaretur si posset non scire, ex quo scitum est. Si autem accipiatur divisim, sic est in potestate Sua scire et non scire.

Sed hic modus dicendi, quamvis videatur esse Magistri Sententiarum, et communiter sic dicatur, nihilominus stare non potest in multis. Primo quidem in hoc quod dicit divinum velle semper esse quasi in egrediendo a voluntate. Probabitur enim infra quod Deitas est quoddam velle subsistens purum absque omni potentia volitiva, sicut et intelligere purum. Ubicumque enim est ratio potentiae volitive, ibi est ratio imperfectionem importans, quia omnis possibilitas dicit imperfectionem maxime; susceptiva voluntas autem dicitur velle suscipiendo volitionem formaliter et non eliciendo; sed constat quod in Deo non est aliqua ratio imperfectionem importans; ergo non est in Eo potentia volitiva, sed velle inelicitum, actus purus, et subsistens.

Secundo vero in eo quod ait quod Deus potest non velle quod vult, non quod simul velit et non velit, nec etiam quod postmodum non velit. Secundum hoc enim sequeretur quod aliquod velle esset in Deo quod potuisset non esse, et aliquod velle non esset in Eo quod tamen esse potuisset; sed hoc est impossibile, quia quicquid umquam possibile est esse in Deo, totum est actu, et quod non est actu, est impossibile simpliciter in Eo esse, alioquin, cum quicquid sit in Deo sit Deus, esset aliquis Deus possibilis qui non est, et aliquis Deus possibilis non esse Deus; igitur poni non potest quod isti dicunt.

Tertio vero deficit in eo quod ait scientiam visionis posse se extendere ad plura vel pauciora, pro eo quod Deus potest facere plura vel pauciora quam faciat. Constat enim, etiam secundum istos, quod scientia visionis terminatur ad res prout sunt exhibitae praesentialiter in sua actualitate; sed ut sic omnino immutabiles sunt, quia esse, quod est, quando est, necesse est esse; unde conceditur ab eis quod futurum ut subest divinae praescientiae necessarium est; ergo non possunt pauciora vel plura attingi notitia visionis.

Praeterea, conceditur ab istis quod istud antecedens est necessarium: ‘Deus scit aliquid esse futurum’, et consequens etiam est necessarium, si inferatur: ‘Ergo illud erit’, prout tamen subest scientiae divinae, scilicet prout est in sua praesentialitate; sed praescientia et praescitis sic existentibus necessariis, impossibile est quod praescientia se extendat ad plura vel pauciora; igitur illa duo repugnant.

Quarto etiam deficit in hoc quod ait de illa distinctione, quia si divisim verum est quod Deus potest aliquid praescire et non praescire, aut quod aliquid praescitum potest esse non praescitum, secundum hoc enim sequeretur quod res secundum quod subsunt divinae praescientiae non essent necessariae, cuius oppositum isti dixerunt, inducendo verbum Philosophi, primo *Peri hermeneias*, dicentis: “Omne quod est, quando est, necesse est esse.”

Quid dicendum secundum veritatem. Et primo quod praescientia accepta secundum proprietatem vocabuli, si esset in Deo, posset minui et augmentari, sed recurriendo ad effectum quem intendimus ponendo in Deo praescientiam, non potest minui nec augeri.

Restat igitur nunc dicere quod videtur sub triplici propositione. Prima quidem, quod aliud est proprietas significata per praescientiam, ista enim importat praecessionem scientiae ad scitum, et expectativam notitiam, et transitum super rem ut futuram; aliud vero est effectus ille quem intendimus in Deo ponere, praescientiam Sibi attribuendo, intendimus enim quod est in Deo quaedam notitia abstracta penitus ab expectatione et futuritione quacumque, ad quam se habet actualitas contingentis dum est posita eodem modo sicut dum posita non est. Si igitur primo modo in Deo praescientia poneretur, inevitabile esset quin contingentia rerum mutabilitatem induceret in praescientia Dei. Impossibile est enim quod obiectum cognitum sit mutabile ac possibile minui et augeri quin scientia sit mutabilis et possibilis augmentari et minui, saltem extensive, quod non est possibile fieri quin aliquantulum intrinsece mutetur; sed obiecta divinae praescientiae mutabilia erunt et possible minui et augeri, si feratur determinate in aliqua ut futura, utpote in fienda – potest enim Deus, vel homo, multa facere quae non facit, et non facere quaedam quae facit; ergo nullo modo est in Deo praescientia fiendorum sic quod Deus sciat aliqua esse fienda et aliqua non fienda in futurum quin Eius scientia variabilis sit per augmentum et diminutionem. Unde non est verum quod haec propositio: ‘Tale quid est futurum, vel fiendum’, sit magis vera quam sua opposita, scilicet: ‘Tale quid non est futurum, vel non fiendum’. Patet enim quod omnia contingentia omnino sunt similia in hoc quod quodlibet est fiendum et non fiendum. Nec est bona distinctio futurorum quod quaedam sint fienda et quaedam non fienda; immo omnia sunt ad utrumlibet, inquamtum futura. Et per consequens non potest esse variatio in divina praescientia prout cognoscit futura, non quidem Sibi futura, sed respectu praesentis temporis. Talia quidem cognoscuntur a Deo ut sit non determinate, sed sub utraque parte contradictionis. Scit enim quod omnia contingentia sunt ad utrumlibet, sic quod futura est pars altera contradictionis affirmativa vel negativa. Non autem determinate scit quod ista sit futura et non illa, quia tunc esset in Deo praescientia primo modo accepta.

Si vero accipiatur effectus quem intendimus, scilicet quod res contingens, actualiter posita, est nota Deo, nec aliter postquam est posita quam dum non erat, pro eo quod non distat actualitas sua a divina scientia secundum lineam successionis – non enim prius fuit scientia quam actualitas, nec tamen propter hoc simul fuit vel incepit cum ea, sed ista duo apprehendantur de divina scientia quod nec praecessit actualitatem nunc positam, nec etiam cum ea incepit, sed est quoddam necesse esse – tunc manifeste patet quomodo contingentia rerum non ponit varietatem in divina scientia ita quod possit praescientia sic accepta minui vel augeri. Res enim aliqua non dat scientiae mutabilitatem nisi inquamtum res illa variabilis est; sed actualitas posita variabilis non est inquamtum posita est, licet eius futuritio variabilis esset; ergo nec illa notitia in qua ponitur absque futuritione et absque coexistentia cum indistantia sola, abstrahendo ab omni relatione temporis, in tali, inquam, notitia mutabilitatem non ponet. Et per hoc patet quod omnes actualitates praeteritae nullam variationem posuerunt esse possibilem in divina notitia aeternaliter per abstractionem ab omni duratione immutabiliter existentem. Quare nec aliqua alia actualitas quae in ea obiective sit posita, quantumcumque nos vocemus eam

‘futuram’, cum tamen non sit verum quod magis futura sit quam eius oppositum, ponet varietatem in praedicta notitia.

Ex quo etiam patet quod numerus praedictarum actualitatum minui non potest, quia tunc essent variables, et aliqua ex eis posset non esse postquam est posita. Similiter etiam nec potest augmentari, quia sicut actualitates positae in praecedentibus instantibus, dum sunt posite, non possunt esse non posite, ita et ille quae in praedictis instantibus sunt non posite, non possunt esse posite, quia non esse, dum non est, necesse est non esse. Sicut ergo praeteritae actualitates invariables sunt, sic et non actualitates; propter quod actualitates augmentari non possunt, nec numerus earum, quia sequeretur quod posset minui numerus non actualitatum.

Sic igitur patet quod Dei praescientia non potest minui vel augeri, sic accipiendo praescientiam sicut veraciter est in Deo. Sed si aliter esset in Eo, sicut multi imaginantur, scilicet quod haec propositio esset propria et in sua proprietate vera: ‘Deus scit quod hoc fiet’ necessario posset mutari, cum sit possibile quod illud non fiat, et posset augeri, si sciret quod tale quid non fieret, cum possibile sit fieri. Unde patet quomodo decipit imaginatio communis, quia Deus non scit quod istud fiet in futurum, sed quod illud fiet vel eius oppositum, sicut et nos scimus. Habet tamen quamdam scientiam a nobis inatingibilem et abstractam, qua eodem modo scit rem dum non est quomodo scit quando est. Et ideo sicut numerus rerum, quando sunt, immutabilis est et invariabilis per augmentum et diminutionem, quia quaelibet res, quando est, necesse est esse, et ita earum numerus necessarius est, sic et scientia illa inatingibilis et abstracta omnino immutabilis, et impossibilis est minui vel augeri.

Quod scientia Dei omnino immutabilis est de quibuscumque cognitis obiective. Secunda vero propositio est quod scientia Dei immutabilis est circa quaecumque obiecta. Impossibile est enim scientiam immutabilem esse quantum ad obiectum intuitum quod ponitur in conspectu scientis, quin etiam immutabilis sit quantum ad omnia aequipollenter cognita ex notitia illius obiecti; sed declaratum est supra quod omnia tam simplicia quam complexa, tam actualiter existentia quam non existentia, cognita sunt cognita Deitate, sic quod cognitio Deitatis est aequipollenter et amplius cognitio omnium aliorum; constat autem quod Deitas immutabiliter est cognita, et de necessitate stat in divino prospectu; similiter etiam Deitas de necessitate est similitudo eminens omnium aliorum, ita quod, Ea immutabiliter cognita, sequitur quod eadem immutabilitate alia sint cognita eminenter; ergo necesse est quod scientia Dei immutabilis sit respectu quorumlibet cognitorum.

Praeterea, scientia Dei attingens Deitatem dicitur attingisse rerum quidditates; rerum existentias actuales; rerum existentias futuras naturaliter, ut pluvias, ventos, et talia; rerum existentias futuras libere et ad utrumlibet, ut mores hominum, merita, et peccata; rerum complexiones necessarias, ut quod triangulus habet tres; rerum complexiones contingentes, ut quod Sortes sedet; inflexiones temporum, ut quod Cesar fuit, et quod Antichristus nondum est – sciet autem, quando erit, quod est, et dum fuerit mortuus, sciet quod fuit. Sed manifestum est quod nullum istorum cognitorum inducit mutabilitatem in divina scientia. Constat enim quod non facit hoc cognitio quidditatum; ille enim, sive sint sive non sint, uniformiter cognoscuntur. Nec etiam existentiae actuales, quia res, dum existit, immutabiliter est et invariabiliter cognosci potest. Nec etiam existentiae futurorum quae naturaliter fiunt, ut in pluribus vel raro, quia talia reducuntur in causalitatem universalem totius naturae et supra celestium corporum, et sic subterfugere non possunt cognitionem divinam.

Nec etiam futura libere, quia licet reduci non possint in causas determinatas, quia liberum arbitrium est ad utrumlibet, tamen ut posita sunt iam in actu, quaedam cognoscibilia sunt, et possunt habere similitudinem praesentem, coexistentem, ut dum cadunt sub sensu, vel abstractam et indistantem, quia praecedentem vel subsequentem habere non possunt quin fallax et deceptor sit. Deitas autem est exemplar abstractum, et ideo potest repraesentare res positas in actu, non quidem ut praeteritas vel futuras vel simultaneas, sed solum pro illo tunc in quo posita sunt. Et ita mores hominum, et merita ac demerita, immutabiliter sunt Deo cognita, quia et ipsa immutabilia sunt prout ponuntur in actu.

Nec etiam facit varietatem in divina scientia cognitio complexionum et compositionum quae necessarie sunt, ut quod triangulus habet tres, quia ille semper uniformiter cognoscuntur etiam a nobis. Nec etiam complexionum contingentium, quia ille immutabiliter possunt cognosci, dum ponuntur in actu. Nec etiam inflexiones temporum, licet enim non sit eadem enunciatio: ‘Antichristus est natus’, ‘Nascetur’, et ‘Natus fuit’, quia una est vera, reliqua existente falsa, tamen eadem res est cognita sub diverso modo cognoscendi, nunc quidem expectative, ut cum dicitur ‘nascetur’, nunc vero memorative, ut cum dicitur ‘natus est’, nunc vero intuitive vel simultanee, ut cum imaginamur quod nascitur – in intellectu ergo sic apprehendente rem, varietas enuntiationum inducit varietatem scientiarum sicut in nobis; sed ubi res cognoscitur abstrahendo a futuritione, praeteritione, et simultate, non oportet quod inflexio rei secundum tempora inducat varietatem in tali scientia, et sic Deus immutabiliter mutabilitates istas cognoscit; enunciationes enim istas non format, sed a nobis formabiles, vel formatas, cognoscit cognita Deitate. Ergo nullum est scibile quod in divina scientia mutabilitatem inducat.

Sed forte dicitur, quantum ad actualitates contingentium futurorum, quod licet ipse ut actu positae sint cognoscibiles, tamen dum non sunt, immutabiliter cognosci non possunt. Oportet ergo quod actualitates ponantur ad hoc quod Deitas sit similitudo earum, et ita accipit aliquid Deitas a positione existentiarum. Et cum ab aeterno positae non sint, non videtur quod sit Deitas ab aeterno similitudo ipsarum.

Sed si ita dicatur, non valet. Quicquid enim possibile est umquam esse in Deo, immutabiliter semper et actu est, cum sit Deitas necessitas quaedam; nunc autem, quando res posita est in actu, non dubium quod est entitas quaedam; Deus autem est omne ens eminenter, ita quod Deitas est exemplar vel esse potest omnis entitatis; necessario ergo et immutabiliter est exemplar ab aeterno illius actualitatis quam habet res ratione positionis in actu – non quidem quod capiat Deitas hoc a positione, cum sit exemplar illius, sed potius e converso. Exemplatum enim transcribitur ab exemplari. Non igitur debet sic concipi quod positio actualitatis tribuat Deitati quod possit esse exemplar, sed tantummodo a posteriori arguimus quod Deitas est exemplar a Se actualitatis quae hodie ponitur pro eo quod positio dat actualitati quod sit exemplabile quoddam. Et per consequens Deitas potuit exemplare; quare et aeternaliter exemplavit, sive sit res actu posita sive non.

Ulterius forte dicitur quod res actu posita non est aliquid aliud exemplabile quam quando non est posita. Esse enim et essentia sunt idem realiter, ut declaratum est supra; immo etiam conceptibiliter, quantum ad rationem conceptam, licet differant quantum ad modum concipiendi, quia eadem res concepta per modum habitualem et quiescentem concipitur ut essentia, ut cum apprehenditur flos. Eadem vero concepta per modum fieri et actionis concipitur ut esse, ut dum apprehendimus florere. Cum igitur res non capiat per positionem in actu nisi esse, poterat enim ante concipi ut essentia, non videtur quod ex ista positione capiat Sortes, aut res alia, aliquid novum exemplabile. Et per consequens Deitas non exemplat specialiter existentias rerum nisi exemplando essentias, cum idem exemplabile et conceptibile sit esse et essentia.

Si utique sic dicatur, non valet. Non solum enim Deitas est exemplar omnium, sed habet omnem modum exemplandi qui non includit imperfectionem. Nunc autem alius modus est exemplare rem ut quiescentem, alius exemplare eam ut actionem et actum quendam, ut patet quod alio modo attingit rem importatam per florem qui concipit eam ut florere quam qui concipit modo floris. Sic igitur eadem est similitudo essentiae et existentiae quantum ad rem repraesentatam, non tamen quantum ad modum repraesentandi. Et secundum hoc patet quod Deitas non solum exemplat rem per modum essentiae, immo per modum existentiae, dum tamen res illa sic possit vere repraesentari; habet autem quod sic possit repraesentari ex hoc quod ponitur in effectu.

Ulterius forte dicitur quod iste modus repraesentandi importat imperfectionem, quia includit determinatum instans. Nihil enim potest intelligi per modum actus et operationis quin apprehendatur sub determinata duratione, quia ut nunc vel tunc; Deitas autem nihil repraesentat ut nunc vel tunc, alioquin esset materialis.

Sed nec etiam istud valet. Verum est enim quod Deitas repraesentare non potest ut tunc, ita quod sit terminus lineae successive quam videtur importare haec demonstratio ‘tunc’, aut etiam simultatis quam importat haec demonstratio ‘nunc’. Et ideo nec divinus intellectus potest dicere rem aliquam, demonstrando quod sit nunc vel tunc, sicut nec potest demonstrare quod sit hic vel ibi, ut superius dicebatur. Potest tamen Deitas repraesentare demonstrationem passivam importatam per ‘nunc’ vel ‘tunc’, non quod eam faciat demonstrando active, ex eo quod talis demonstrabilitas passiva est quoddam potens habere similitudinem praesentantem. Sic igitur Deus intelligit rem aliquam per modum actus et operationis in tali nunc – non quidem quod suo intellectu demonstret et dicat rem esse nunc, quia de necessitate mensuraretur illo nunc et conciperet rem illam esse in eodem nunc secum, et sic false conciperet, sed apprehendit demonstrationem passivam importatam per ‘nunc’ quam aliquis alius facere potest adiacere tali rei quam concipit per modum actus.

Quod nec contingentia rerum immutat veritatem immutabilem prophetiae. Tertia quoque propositio est quod nec rerum contingentia immutat veritatem immutabilem prophetiae. Ubi considerandum quod sicut de praescientia dicebatur aliud esse proprietatem vocabuli, et aliud id quod intendimus per illud vocabulum ponere circa Deum, sic in proposito prophetiae de virtute vocabuli importat notitiam in futurum. Hanc autem ponendo in prophetis, impossibile esset ponere immutabile, stante contingentia rerum, quia futuritione existente immutabili, futurum immutabiliter est ponendum, et ita contingentia excludetur, et erunt vere propositiones de futuro contingenti, futuritionem huiusmodi immutabilem exprimendo. Prophetia vero, quantum ad id quod intendimus ponere in prophetis, non importat huiusmodi notitiam in rem notam procedentem sub linea futuritionis, aut praeteritionis, aut etiam praesentialitatis, sed absolute procedentem in rem sub illa determinatione quam daret sibi positio actualis, si poneretur in actu res illa. Et sic propositiones positae in prophetis per modum futuritionis non sunt proprie, nec in sua proprietate, vere vel false, sed tantum vere sunt quoad hoc quod intendunt, talem scilicet notitiam esse de determinatione contingentis in divina notitia qualem actualitas et positio illi daret, si poneretur in actu. Utrum autem huiusmodi notitia abstracta sit communicabilis menti prophete, vel solummodo Deus habeat eam et certificet prophetam se habere illam per impressiones aliquas et indicia, non est praesentis speculationis.

Ex his igitur patet quid dicendum ad quasdam dubitationes quae consueverunt moveri. Consuetum est enim quaeri utrum Petrus potuit non negare Christum postquam Christum praedixerat: “Ter me negabis,” et utrum Iudas potuit Christum non tradere postquam Christum praedixerat: “Unus ex vobis me tradet,” et utrum Paulus potuit occidi ante conversionem postquam Deus eum praeviderat convertendum. Et idem posset quaeri de omnibus propositionibus de futuro positis in prophetis. Et dicendum ad omnes quod aequè potuit fieri oppositum, ac si numquam illud fuisset dictum vel praevium. Cuius ratio est quia praevio aut praedictio non dant futuro determinationem aliquam, nisi quantum positio rerum, dum fuerunt exhibite, dedit instantibus omnibus praecedentibus huiusmodi determinationem, quia non aliud exprimunt verba talia nisi quod actualitas illa est indistans a divina notitia; nec notitia praecedit eam ut ratione suae praecessione det determinationem actualitati huiusmodi pro instantibus praecedentibus; immo notitia nullam penitus determinationem dat pro instantibus illis, nisi illam quam actualitas dat. Constat autem quod negatio Petri actualiter posita non dedit praecedentibus instantibus quod esset quid sic determinatum quin posset fieri oppositum; immo aequè poterat unum fieri sicut reliquum.

Et esset fatua quaestio, si diceretur, supposito quod non sit aliqua praescientia vel praedictio, sed solum hoc quod Petrus negavit, utrum ex hoc quod negavit potuit Petrus aliud facere pro praecedentibus instantibus. Concederent enim omnes quod sic, quantumcumque nunc determinatum sit quod negavit. Pari ergo ratione praevio aut praedictio nihil facit, nisi quatinus illa praevio importaret praecessione quam exprimeret illa praedictio. Tunc enim daret instantibus praecedentibus determinationem, quia quamdiu est scientia, determinata est, et per consequens si praecederet actualitatem, pro toto tempore quo praecederet determinata esset notitia illius actualitatis, quare et actualitas ut futura, quia non potest scientia esse determinata

quin determinatum sit id quod scitur. Tollendo itaque huiusmodi praecessionem, non remanet determinatio aliqua illius actualitatis pro toto tempore praecedenti, sed est totaliter indeterminata et ad utrumlibet, et potest fieri hoc vel illud, acsi nulla praecessisset scientia negationem Petri. Et sic intelligendo, cessat omnis difficultas quae oritur ex praescientia et propheticis propositionibus.

In hoc ergo articulus quartus finitur.

Responsio ad primo obiecta.

Ad ea ergo quae in oppositum primitus inducuntur dicendum est. Ad primum, quidem, quod contingentia et mutabilitas non est in rebus nisi quatinus futura sunt. Sic autem non cognoscuntur determinate a Deo, nec sunt in Eius praescientia, sed potius secundum determinationem illam quam habent ex sua actualitate. Licet enim non sint actualiter posite, determinatio tamen illa quae sequitur actualem positionem potest assumi in intellectu divino, pro eo quod non distat nec praecedit in antea secundum lineam successivam huiusmodi actualitatem. Si enim distaret, ita quod inter Deum et actualitatem esset linea futuritionis, impossibile esset quin si notitia immutabilis poneretur et actualitas immutabiliter eveniret, vel si eventus indeterminatus foret et ad utrumlibet, scientia mutabilis esset et ad utrumlibet contingenter. Et per idem patet ad secundum et tertium.

Ad quartum dicendum quod Deus non cognoscit futura ut futura esse determinata, immo ad utrumlibet. Cognoscit tamen determinationem illam quam actualitas posita in effectu dat contingenti. Constat autem quod illa est immutabilis, non quidem pro tempore praecedenti, sed pro nunc in quo est. Quare et immutabilis est in ordine ad divinam scientiam quae non praecedit, nec subsequitur, nec est simul cum illa actualitate. Ex hoc enim quod non distat ab ea praecedendo, et ut futuram aspiciendo, potest habere eandem determinationem actualitas illa in tali notitia quam habet etiam in seipsa. Sola namque futuritio est illud quod recipere non potest determinationem illius actualitatis.

Ad quintum dicendum quod illi qui imaginantur praescientiam quasi notitiam futurorum, habent concedere de necessitate quod Deus potest fieri de non praescio praescius, et econverso, quod impossibile est salvari sine Sui mutatione, ut argumentum concludit. Sed qui praescientiam recte intelligit, sicut expositum est, non artatur ad ponendum mutabilitatem in Deo, nec ad concedendum quod fiat de non praescio praescius. Et per idem patet ad sextum.

Ad ultimum dicendum quod Magister concedit Deum posse scire plura vel pauciora quam sciat, habendo aspectum ad proprietatem vocabuli 'praescientiae', quae videtur importare notitiam futurorum. Sed habendo aspectum ad id quod intendimus vere in Deo ponere, non est concedendum. Et ideo statim Magister addit quod hoc totum debet intelligi sine mutabilitate divinae praescientiae, quod esse non potest, nisi eo modo quo superius est expressum.

Ad secundo obiecta.

Ad ea vero quae secundo inducuntur, dicendum est. Ad primum quidem, quod quantumcumque diversi diversimode nisi sint illam consequentiam palliare, qua communiter vulgus utitur, scilicet: 'Si Deus scit aliquid esse futurum, ergo illud eveniet de necessitate', vel saltem 'immutabiliter', ita quod omnis conatus ad oppositum frustratorius est et vanus et omne consilium, nullus tamen evadere potuit, sed nec potest, nisi negando antecedens in sua proprietate. Non est enim haec propria: 'Deus scit determinate aliquid esse futurum', nec in sua proprietate vera, quia propositio de futuro contingenti determinate et praecise sumpto impossibilis est ad sciendum, cum nec sit vera nec falsa; scientia vero non sit nisi verorum. Non igitur inveniet vulgus aliquam propositionem quam subiciat divinae praescientiae ex qua inferat determinatum esse eventum futurorum, sicut apparuit in corpore quaestionis. Et per idem patet ad secundum.

Ad tertium dicendum quod Deitas est similitudo eminens, non solum exemplans res per modum quietis et habitus, sicut exemplantur essentiae, immo exemplat easdem per modum operationis et actus, et per modum esse, connectendo cum eis certum instans mensurans huiusmodi esse. Non exemplat autem res ut futuras hoc ultimo modo, quia tunc necessario

evenirent, nec essent contingentes, sed exemplat eas ut non sunt future. Contingentium autem quaedam sunt possibiliter exemplari per istum modum, ut illa quorum actualitates sunt positae in divina notitia obiective; quaedam vero non, ut illa quorum actualitates non sunt in eadem notitia obiective constitutae. Quare autem aliquae sunt exhibitae actualiter in divina notitia, aliquae vero non, oritur non ex futuritione rei, quia omnes res ut futurae sunt aequaliter contingentes, sed ex indistantia divinae notitiae ab existentibus quae iam actu positae sunt in seipsis, aut quae exhibende sunt. Licet enim non sit determinata ante tempus praesentis lectionis actualitas ista in se, nunc tamen determinata est, et eadem determinatio potest transfundi in divinam notitiam, etiam ab aeterno, propter suam indistantiam et carentiam praecessionis ad actualitatem istam. Sic igitur exemplaritas Deitatis contingentiam non excludit, quia ut futurae sunt, utramque partem contradictionis aequaliter exemplat.

Ad ultimum dicendum quod minor illius sillogismi non est vera, scilicet quod omne futurum sit determinate scitum et cognitum a Deo ut futurum, nec ut praesens, nec ut praeteritum, sed potius ut abstractum.